

XXV
VII.



Sammulld

7. Bd = vord. ; Ki 4069

Sl.

+

40.
DISSERTATIO JURIDICA
PRIOR,
DE

SEPULTURÆ DENEGATIONE,

Von
Verfagung des Begräbnisses /

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO VVILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ELECTORATUS ET PROVINCIARUM
BRANDENBURGICARUM HEREDE, &c. &c. &c.
IN ILLUSTRİ ALBERTINA

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
PRO RECEPTIONE IN EANDEM
solenni ventilationi subijcit

REINHOLDUS FRIDERICUS SAHME,

J. U. D. & Profess. Publ. designatus,

RESPONDENTE
SIGISM. THEOD. BERENT,
Regiom. Boruss.

D. XV. April. A. clo lccc X. H. L. Q. C.

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.

DISSERTATIO IURIDICA

DE

SEPULTURAE
DENEGATIONE

DE

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO

DOMINO FRIDERICO

WILHELMO

RECTORIS ELECTORATUS ET PROVINCIAE
BRANNEBURGICAE PRINCIPIS & DOMINI

CONSILII AUSTRIACI

PRO RECTORIS IN EANDEM

REINHOLDUS FRIDERICUS

SÄHME

J. H. D. & Prof. Publ. d. g. g. g.

RESPONDIT

SIGISM. THEOD. BERENT

Episc. Hoff.

RECTORIS AUSTRIACI



AUGUSTISSIMO, SERENISSIMO
ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO,
REGI PRUSSORUM,
MARCHIONIBRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,
SUPREMO ARAUSIONIS ET NEOCOMI
PRINCIPI,

MAGDEBURGI, CLIVIE, JULIACI, MONTIUM,
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VINL-
DORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNÆ

DUCI,

BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,
VANDALIE, SVERINI, RACEBURGI & MEURSE.
COMITI HOHENZOLLERIE, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINI, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ & LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRÆ & VLISSINGÆ,
DYNASTE RAVENSTEINI, ROSTOCHII, STARGARDIÆ;
LAUENBURGI, BUTOVIE, ARLALE AC BREDÆ, &c. &c. &c.

PATRI PATRIÆ,

PIO, JUSTO, FELICI,

Regi ac Domino suo longè clementissimo

SACRUM!

AUGUSTISSIME
REX!



DRegalem MAJESTA-
TIS TUÆ Thronum ap-
propinquare vix audent
tenuēs hæ pagellæ, funebri squalo-
re tetræ, & nil nisi busta ac feralia
sepul-

sepulchra spirantes. Sed ita
jusserunt fata, ut inter crebra
hactenus funera versanti non
alia suppetierit cogitatio,
quàm mortalitatis, eidemque
annexæ Sepulturæ. Attamen
& hæc Disquisitio, quia ex
Majestaticô Principum circa
Sacra Jure deprompta, à Sa-
cratissimo TUÆ MAJESTA-
TIS Nomine non penitus ali-
ena videtur. Nigredinem ma-
teriæ candidissimum humil-
limæ observantiæ dissipabit
monumentum, quod in gra-
tissimo pectore exstructum

MEM):(3 TUÆ

TUÆ confecro MAJESTA-
TI: Huic omnia Beneficia,
quibus REX AUGUSTISSI-
ME, cum primis clementissi-
ma collatione Professorii Mu-
neris me ornasti, inculpta
nitent, ut debitæ gratitudinis
publicum perhibeant testi-
monium. Nondum elapsum
est triennium, quò Disserta-
tionem meam inauguralem
de Jure Numeri Septenarii in
Academia Gissensi Magno
TUO Nomini consecratam
Benignissimo dignatus es Ad-
spectu: Patere ergo, CLE-
MEN-

MENTISSIME REX, ut &
hæ lucubrationes Clementiæ
TUÆ REGIÆ ac verè DI-
VINÆ sint testes, De cæte-
ro *Denegationem Sepulturæ* of-
ferens & TUÆ MAJESTA-
TI Sepulturam lubenter de-
negarem, ut in Secula nobis
viveres, n̄ REGIBUS Cœ-
lum invidere impium foret.
Id tamen precamur omnes,
ut diu careas Sepulchrô, ca-
reas quoque Monumentô;
nam Ipsemet Pictatis, Gloriæ
ac Felicitatis Vivum repræ-
sentas Mausoleum. Vive er-
gò

gò REX AUGUSTISSIME,
& dignam MAJESTATE
TUA semper experire For-
tunam!

AUGUSTISSIME
REX,
REGIÆ TUÆ MAJESTATIS

humillimus servus ac subditus

R. F. Sahme, D,

I. N. D. N. J. C.

INGRESSUS.

DE Sepulturis varii varia à multis retrò annis scripsere è Theologis non minus, quàm JCtis. Inter hos eminent Andreas Molfesius, Jo. Dilect. Durand. & Sebast. Medices in tractatibus suis *de Sepulturis*: Sigism. Finckelthaus *de jure Sepultura*, & qui plurima ex eodem desumpsit Just. Bernh. Hoyer in *Disputatione quadam de eadem materiâ*. Nec contemnenda est opera, quam Henr. Rudolph. Heydenreich præstitit in *Disputatione Inaugurali*, sub præf. Henr. Balthaf. Rothii *Jene* habitâ *de Juribus Sepulchrorum*, cui addi possunt Jo. Rebhianus, Christ. Mich. Bohn. *de Sepulturâ & Sepulchris* ac fortè alii. De *privilegiis Sepulchrorum* egit Christ. Klengelius: *de jure Principis Evangelici circa solennia sepultura* Dn. Thomasius; *de prohibitiâ violatione Juris Sepultura* Jacobus Nedderhoff *sub præsidio* Henr. Bodini: *de sepulturâ gratis concedendâ* novissimè Jo. Henr. Heunisch *sub præsidio* Dn. Bruckneri. Inter Theologos præ aliis conspicuus est B. Gerhardus *Tom. 8. Locor. Theolog. ubi de Morte agit* & celeberrimus Quenstedius in tractatu *de Sepultura Veterum*, qui tamen unâ cum Hildebrandi *de Sepulturâ Veterum Christianorum* plurima ad Historiam pertinentia continet: quò etiam referendi Kirchmanus *de funeribus Romanorum*, Gyraldus *de variò sepeliendi ritu*, Jacobus Gutherius *de jure manium s. de sepulchris Romanorum & horum Legibus*. Erasmi Francisci in *der Ehre der verblichenen alten Heyden / Juden und Christen* & plures alii. Quâ ratione à JCtis hæc de Sepulturâ materia pertractetur? notissimum est, nimirum ita, ut quid justum vel injustum circa eandem obtineat, indicetur. Quomodò verò ad Theologos pervenerit? mirum alicuj non absque ratione videre posset. Ipsi sanè

fanè Sepulturæ nihil divini, nihil spiritualis, nihil sancti inest; quin in Veteri Testamento Sacerdotibus tam parum negotii erat cum mortuis, ut etiam immundi fierent, si ad illos accessissent, *Levit. XXI. 1. sequ.* hodie tamen ad res Ecclesiasticas & tantum non Spirituales non à Pontificiis solum sed & Nostratibus trahitur, quod ipsum inter reliquias ex Papatu merito numerat Illustris Dn Stryck in *Disp. de jure funerandi cap. 7. §. 4.* Quicquid tamen hujus rei sit, sive sepultum consideretur ut res Politica, sive ut Ecclesiastica, (ad spirituales enim eandem referre inconueniens esset,) JCrts certè ejus tractatio omni jure competit. Interim cum & Theologis ac in primis Verbi divini Ministris Leges Ecclesiasticæ & Agenda (die Kirchen-Ordnungen) cognita esse debeant, & in iisdem de Sepulturâ quoque disponatur, non incongruum videtur, si & hi de eâdem piâ intentione sint solliciti, ac de rebus ad officium hodie eorum pertinentibus differant, præcipuè cum de usu & consuetudine tanquam optimâ Legum interprete satis benè attestari valeant. Tametsi verò, uti supra dictum, multi hâc de materiâ fufus commentati sint, de *Denegatione* tamen *Sepulturæ* plurimi superfundoriè egerunt ac insufficienter: nonnulla huc pertinentia tetigit Jo. Philipp. Eschenbach in disp. inaug. *de hominis mortui Sepulturâ prohibitiâ Jene sub presidio* Henr. Balch. Rothii habitâ, quæ tamen rem nondum exhauriunt. Cum verò quàm maximè interfit nosse, an Sepultura denegari possit? à quo? quam ob causam? quibus? quomodo? &c. & præcipuè quotidie tales emergere casus soleant, non inutile visum fuit hanc materiam ex professò duabus Dissertationibus pertractare, ita quidem, ut primò agatur DE SEPULTURA EJUSQUE DENEGATIONE IN GENERE: deinde DE DENEGATIONE SEPULTURÆ TOTALI SEU PRIVATIONE SEPULTURÆ; postmodum DE DENEGATIONE SEPULTURÆ HONESTÆ, ac

deniq. DE DENEGATIONE SEPULTURÆ CERTO IN LOCO, CERTO TEMPORE ET QUOAD RITUS AC CEREMONIAS. Faxit DEUS feliciter!

CAPUT I.

De

SEPULTURA EJUSQUE DENEGATIONE IN GENERE.

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| I. Quid per Sepulturam hic intelligatur? | V. Origo Sepulturae. |
| II. Gentiles mortuos suos variâ ratione tractârunt. | VI. Causa Sepulturae. |
| III. Morariâores tamen gentes vel concremarunt mortuos: Cur? & quomodo? | VII. An detur officium erga mortuos, & quôdnam ejus fundamentum? |
| IV. Vel terræ mandarunt. | VIII. Divisio Sepulturae. |
| | IX. Sepultura nemini deneganda nisi certis in casibus. |

I.

Vocabulum *Sepultura* variè quidem in Jure nostrò, ac in primis Canonico usurpatur, dum nonnunquam pro officio sepeliendi, c. 8. X. de *S. mon.* quandoque pro ipsò sepulchro accipitur c. 13. X. de *Sepultur.* c. 70. ca. XII. qu. 2. Quilibet tamen videri, nobis sepulturam ipsum denotare actum, per quem corpus demortui hominis terræ infertur, vid. L. 2. § 3. sequ. ff. de relig. & sumpt. funer. Ut ut enim & veterum præcipuè Romanorum concrematio à nonnullis voce sepulturae indigetur, improprie tamen & in latiori quodam significato illud fieri nemo non advertit, siquidem hæc denominatio ipsi vocis naturæ ac indoli contrariatur, dum sepultura à sepeliendo i. e. fodiendo suos ducit natales, cui Germanorum *Begräbnis* accuratè respondet. In propriò igitur significato Sepultura describi potest, quod strictus, quo defuncti hominis corpus in peculiarem locum

A 3

terre-

terrestrem licitum cum vel sine ceremoniis infertur, ibique aservatur, ut perpetuò requiescat, add. Finckelthaus *de jure Sepult. concl. 1.* Diximus notanter *infertur*, ut non solum intelligatur ille actus, quò cadavera terræ infodiuntur, sed etiam is, quò corpora extra terram in locò aliquò elegantiori reconduntur, & absq; humatione ambitione hominum & nescio quò sese conservandi studio aservantur; qui actus licet etiam nativæ sepeliendi indoli aliquatenus adverteretur, sub nomine tamen sepulturæ hoc locò comprehendì debet, nam & Salvator noster dicitur sepultus, quamvis terrà obrutus fuisse nullibi legatur.

II. Non tamen omnes omninò gentes hunc semper morem observarunt, ut defunctos terræ mandarent, sed variâ ab iisdem ratione tractatos esse, hinc indè legimus. Crudelitatem seu, si mavis, immanitatem prorsus sapit veterum Scytharum, Massagetarum aliarumque gentium nefandus mos, de quibus Herodotus *Lib. 4. Hist.* narrat, illos parentes senio confectos ceu imbellem turbam mactare solitos, coquere & carnibus ipsorum vesci, liberis & cognatis tanquàm ad solenne convivium congressis. Non minus inhumana fuit Parthorum consuetudo, quòrum Sepultura vulgò aut avium aut canum laniatus fuit, referente Justino *Lib. 41. cap. 3.* His annumerandi Hircani, quibus teste Curtio horrida ac inculta vita erat; hi enim canes ad hoc officium aluerunt, ut corpora defunctorum laniarent, quique ideo sepulchrales dicebantur. Meminit hujus quoque moris Cicerò *Lib. 1. Tuscul. Quest. in fine* his verbis: *In Hircaniâ plebs publicos alit canes, optimates, domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quicq; facultate parat, à quibus lanietur, eamq; optimam illi censent esse sepulturam.* Ridiculum est, quod de Trag'odytis narratur: Simulac namque apud illos defunctus animam efflaverat, illius cervicem pedibus alligabant laqueis ex paliuro contextis, quò factò raptim eundem cum risu & jocis efferebant saxò corporis faciem occultantes; imposirò dehinc capræ aut cervinò cornu læti rursus discedebant. Alii planè defunctorum corpora suspendere consueverunt, quod ipsum etiam de populis Septentrionalibus refert Olaus Magnus *Lib. 16. Hist. cap. 37.* *morem scil. antiquorum fuisse cadavera Principum in frigidis arboribus*

bus præsertim quercinis, tanquam sacris locis, Numinibus consecratis suspendere: quanquam non immeritò de hâc Olai Magni narratione dubitet Olaus Wormius Mon. Dan. Lib. 1. c. 6. in fin. referente B. Quensted. de Sepult. Veter. cap. 15. Saniores his fuisse videntur Persæ, qui mortuos cerâ circumlitos domi servabant, quod Assyrii & Babylonii quoq; imitati sunt. Syrii verò defunctorum cadavera condiebant variis aromatis, myrrhâ nempe, aloë, cedro, melle, bitumine & resinâ teste Alexandrò ab Alexand. Lib. 3. genial. dier. cap. 2. cujus instituti originem ad Ægyptios referunt: huncque morem adhuc hodie incolæ regionis, quam Zei'an vulgò vocant, observare, & mortuos aromatis conditos in scamnis secundum distinctas familias collocare tradunt Itinerariorum Scriptores. Plures gentilium circa Sepulturam ritus præter allegatos recensent Kirchmannus in appendice ad Libr. de Funer. Roman. cap. 2. Kornmann. de miraculis mortuorum. part. 8. cap. 3. 4. sequi. ac in primis B. Gerhardus Loc. de morte §. 78. quibus add. Besold. in Vita & Moris Considerat. Politicâ Lib. 3. cap. 1. Erasmi. Francisci in der Ehre der verbliebenen alten Heyden/ Jüden und Christen conversat. 1.

III. si tamen, quibus meliori de luto Titan finxit præcordia, humanius quoq; & magis reverenter mortuorum corpora profecuti sunt. Legimus enim à plerisque moratoribus populis defunctos vel igne concrematos vel terræ mandatos esse. Utq; prius de concrematione dispiciamus, quare per ignem præcisè perempta sint corpora? non adeò est evidens. Non absurda illorum videtur opinio, qui statuunt, hoc ideo factum, quod quia plurimæ gentes *περὶ τοῦ πυρὸς* crediderunt, animæ igne fuerint purgandæ, ne in alia animantia transmigratioe opus haberent, sed confestim in sedem beatorum transirent. Ut ut verò illud de omnibus gentibus dici nequeat, illud tamen certum est, plurimos in eâ fuisse opinione, ac si igni quidpiam divini inesset, ut adeò defunctis mediante concrematione divinum quoque honorem exhibere voluisse non improbabile sit. De origine hujus ritus æquè nihil certi habemus. Illud manifestum est, quod consuetudo illa corpora cremandi antiquissima sit, & inter Græcos jam Troicis temporibus usitata. Ab Hercule eandem derivant veteres

res Homeri Commentatores, verum quò fundamento ipsi videant. A Græcis ad Romanos hunc morem transiisse non incredibile est, hos enim illorum non Leges solùm sed & ritus imitatos fuisse frequenter legimus. Verum & apud Germanos hanc cremationem in usu fuisse Tacitus *de moribus Germanorum* asserit; quod ipsum non solùm de Germanis, sed etiam Celtis, Gallis, Hispanis, Britannis ac aliis gentibus confirmat Philippus Cluverius *Germ. antiqu. Lib. 1. cap. 53.* Orientales quidem populos non combussisse cadavera asserit Kirchmannus *de funer. Roman. Lib. 1. cap. 2.* cui adstipulatur B. Quensted. *de sepultura Veterum cap. 15.* Persas enim ignem Deum esse opinatos fuisse, ac proinde cadaver hominis Deo consumendum obijcere nefas putasse: Ægyptiis autem persuasum fuisse ignem esse animatam beluam, arreptaque quavis devorare ac consumere, ubi verò expleta & saturata sit, simul cum ipsâ re devoratâ emori: quod quidem de veteribus Persis concesserim, nam contrarium hodiè obtinere testatur oculus testis Dn. à Mandelsloh *in Itinerario Orient. Lib. 1. c. 23.* Nonnulli quoque in eâ sunt opinione, acsi concrematio hæc cadaverum in V. T. inter Judæos in usu fuerit, eamque ex variis Scripturæ locis 1. *Sam. XXXI. 2. Chron. XVI. 14. 2. Chron. XXI. 19.* aliisque stabilire conantur, sed eruditè negat Erasmus Francisci *in der Ehre der verblichenen Alten convers. 1. p. m. 62. sequ.* quam litem jam non facimus nostram. Cæterum ceremoniæ ac solennitates in combustione defunctorum Gentilium adhiberi solitæ non semper uniformes apud omnes fuerunt. Græci & Romani in hisce ritibus non solùm ad superstitionem, sed etiam luxum imò & tyrannidem sæpè progressi sunt, quoad Romanos vid. Rosin. *Antiquit. Rom. Lib. 5. c. 39.* Germanis autem debita moderatio semper adhibita; ita enim Tacitus *loc. cit. Funerum, inquit, nulla ambitio, id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur, struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant. Sua cuiq; arma, quorundam ignis & equus adjicitur: Sepulchrum celsè erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis adspiciantur. H. I.*

IV. Tametsi verò passim illa consuetudo invaluerit, ut corpora defunctorum concremarentur, simul tamen & humatio apud

apud Græcos pariter & Romanos in usu fuit; imò humationem antiquissimum esse ritum, & per longissimum tempus ante cremationem obtinuisse certum est. Ita enim Cicero, *Lib. 2. de Legibus: Mibi quidem*, inquit, *antiquissimum Sepultura genus id fuisse videtur, quò apud Xenophontem Cyrus utitur; redditur enim terre corpus, & ita locatum ac fixum, quasi operimento matris obducitur. Eodemq; ritu in cò sepulchro, quod procul ad fontis aras Regem nostrum Numam conditum accepimus, gentemq; Corneliam usq; ad memoriam nostram hanc sepulturam scimus esse humatam.* Ex quibus verbis non difficulter colligitur, quod humatio quoque sub initium Reipubl. Rom. fuerit in usu: repertum enim Numæ Pompilii corpus à Cneò Terentiò post multa secula in monte Janiculò. Probabile quoq; est hunc humandi ritum interruptò spaciò durasse usque ad tempora Cornelii Syllæ Dictatoris, qui primùm supremam voluntate cavisse legitur, ut ejus corpus cremaretur, cujus desiderio quoque in campò Martiò satisfactum est, teste Alexand. ab Alexandr. *Lib. 3. gen. dier. cap. 2.* Rationem hujus facti hanc annotârunt Autores: Ipse scil. Sylla C. Marii, cui se vivus accerrimè opposuerat, corpus & ossa erui ac aquis submergi curaverat; timens igitur jus talionis, cadaver ejus potius comburi, quàm simili injuriâ affici voluit, conf. Plutarch. *in vitâ Syllæ cap. 24.* A quò tempore mos ille cremandi cadavera inolevisse videtur; retentâ tamen subinde humatione, adeò ut cuique integrum fuerit, vel cremationis vel humationis ritum adhibere, quemadmodum non solum de Romanis sed & Græcis testatur Kirchmannus *de funer. Rom. Lib. 1. cap. 1.* Posteaquàm tamen Christianorum religio in orbe terrarum radices egit, ritus quoque gentilium cremandi mortuòs paulatim evanuit. Neq; tamen ullam Legem aut constitutionem reperire licet, quâ mos ille expressè abrogatus legitur. Equidem Antoninum Imperatorem eundem sustulisse asserit Besoldus *in vitæ & mortis Considerat. Polit. cap. 2.* Verùm rectè de eò dubitat Kirchmannus *l. c. cap. 2.* quod illud neque fictum neque scriptum neque pictum unquam se legisse meminerit. Magis probabile est Imperatorum Christianorum temporibus eum fuisse abrogatum; memorat enim Macrobius *Lib. 7. Saturnal. cap. 7.* qui sub Theodosio Jun. vixit, morem illum suò tempore planè exolevisse; Neque ulla ejus mentio amplius in Jure Civili Romanò injicitur, vid. B. sted.

sted. de Sepul. Veter. cap. 15. in fin. Hodie illum humandi ritum inter omnes Europæas aliasque gentes communiter receptum esse videmus.

V. Unde verò ortum suum traxerit hæc Sepultura, & quænam ejus genuina causa sit? non adeò manifestum est. Nonnulli putarunt, acsi homines hunc morem à brutis hauserint animantibus; testatur enim Plinius *Natur. Hist. Lib. 11. c. 18. & 30.* quod formicæ ac apes se invicem sepeliant, ac idem etiam de Delphinis affirmat *Lib. 9. c. 8.* De apum sepulturâ ita cantat Virgilius:

rum corpora luce carentum

Exportant tectis & vestigia funera ducunt.

Sed quis non videt hæc fabulas & commenta Poetarum sapere? Ipse Kirchmannus, postquam de sepulturâ apum, hirundinum, formicarum, gruum, elephantorum, delphimorum, accipitrum, leonum integrum catalogum contexit, tandem subjungit: *Fabulosa autem & creditu difficilia forte an hæc que narravimus, aliquibus videbuntur; in append. ad Libr. de funer. Roman. cap. 1.* Alii aliam Sepulturæ natales ex S. literis deduci posse arbitramur. Testantur enim exempla, quod à primis ferè mundi conditi temporibus ipsimet Patriarchæ corpora mortuorum terræ mandarint. Sic Abrahamus sepeliit Saram uxorem suam *Gen. XXIII. 19.* Ibidem sepulti sunt ipsemet Abrahamus *Genes. XXV. 9.* Isaacus *Gen. XXXV. 29.* Rebecca & Lea *Gen. XLIV. 31.* harumque maritus Jacobus *Gen. L. 13.* Plura exempla passim occurrunt, vid. B. Quensted. *de Sepul. veter. cap. 1.* Imò ipse Deus Mosén servum suum sepelivisse legitur *Deuter. XXXIV. 6.* Non improbable igitur, est hunc ritum vel per traditionem, vel per frequentem cum aliis conversationem ad reliquas quoque gentes pervenisse.

VI. Sed quisnam moris hujus introducendi finis & quænam causa fuerit? magis adhuc dubium videtur. Quod enim Gentiles attinet, variaz quidem rationes à multis adferuntur, quæ tamen, si à revelatione, ut decet, abstrahamus, rem non exhaustunt. Moschion existimat occasionem datam ex giganteâ feritate mandendi homines, cujus abolita signum sepultura fit, referente Grotio *Lib. 2. de J. B. & P. cap. 19. §. 2.* Alii sepulturam ideo introductam esse asse-

runt,

runt, quia convenientissimum est, ut quemadmodum homo è terrâ suam traxit originem, ita quoque mediante sepulturâ in terram rursus redigatur. Verùm talia ratio sibi relicta vix assequi potest, siquidem absque revelatione non constat hominem è terrâ ortum, & si constaret, ita tamen argumentari cœcutienti nostro intellectui est impossibile: hinc si fortè ejusmodi meditationes apud Ethnicos occurrunt, eas aliunde infallibiliter hauserunt. Quò etiam referendum, quod de spe resurrectionis hæc de materiâ apud Gentiles hinc inde occurrit, vid. Thomaf. *Jurispr. Div. Lib. 2. cap. 10. §. 12. 13.* Non incongruè proinde Grotius *loc. cit. n. 4* existimat hominis dignitatem flagitasse, ut sepultura inveniretur: cum enim homo cæteris animantibus præstet, indignum visum, si ejus corpore alia animantia pascerentur, per sepulturam autem hoc caveri. Etsi verò & hic multa moneri possunt, cum & corpora hominum sepulta vermibus cibo cedant, & argumentum à dignitate hominis petitum non semper firmum sit, hoc tamen in passu præcipuè si regulæ decori adhibeantur, non penitus est negligendum. Utique enim dignius est & magis decorum, si corpus humanum terræ mandetur, quàm si avibus & quadrupedibus lancinandum relinquatur, ac quâlibet injuriâ atque contemptu afficiatur. Neque tamen asserimus hanc solam fuisse causam sepulturæ, svaserunt quippe eandem quoque regulæ prudentiæ, ut scil. fœtor ex cadaveribus proveniens removeatur, qui aliàs facile aërem inficere possët, conf. Ziegler. *in not. ad Grot. de Lib. 2. cap. 19. §. 2.* Quemadmodum verò supra sepulturæ originem S. codici vindicavimus, ita & causa ejus merito eidem adscribi debet. Certum enim est, quod cum sanctissimi viri corpora defunctorum sepeliverint, imò ipse DEUS, uti dictum Mosen terræ mandarit, hoc non sine ratione ab iis factum sit. Sed nam est hæc ratio? Theologi multas adducunt, interque illas potissimum promulgationem divini Oraculi *Genes. III. 19. Terra es & in terram revertetis;* nec non spem resurrectionis, de quibus paulò ante diximus, quod & à Gentilibus hinc inde adducantur: Verùm an illæ causæ genuinæ sint & necessariam contineant consequentiam, merito dubitamus; corpus enim humanum in terram potest reverti, & revera revertitur, licet non sepeliatur; resurget itidem, licet vel fluctibus maris, vel igne, vel aliâ ratione fuerit consumptum. Plu-

res adhucrationes vid. apud B. Gerhard, *Loc. de morte* §. 80. celeberr. Quensted. *de Sepult. Veter. cap. 1.* add. Finckelth. *de jure Sepulturæ conl. 27. lit. c.* Ingenuè potius fatemur, nos veram sepulturæ causam, quam DEUS fortè & Patriarchæ in introductione ejus intenderunt, ignorare; non tamen improbamus pios ac probabiles hæc de re conceptus, imprimis cum Christianos quàm maximè deceat de mortuorum dormitoriis per mortem Christi sanctificatis piè ac reverenter loqui.

VII. Relictis igitur causis sepulturæ potius inquirimus: *An quis de jure Natura & Gentium obligatus sit ad sepeliendos mortuos, & unde illa obligatio oriatur?* Mirè hic inter se dissentiunt Doctores ac Moraliū Consulti. Sane si ex Gentium consensu Jus aliquod formari ac elici potest, firmam adesse obligationem ad sepeliendos mortuos statuendum erit. Multi enim sepulturam ad Jura Divina retulerunt, & nonnullis gentilibus Lex illa de sepeliendis mortuis *ὁ νόμος τοῦ θεοῦ* Lex divina dicitur, vid. Plato *Lib. 5. de Republ. fol. 662.* inde Isocrates in *Panathænais* de bellō Thebanorum agens cum Argivis Adrastum Argivorum Regem introducit asserentem, *humane mortuos esse morum antiquum & jus patrium, quò omnes homines in er se utantur, quodq; non ab humano proditum ingenio, sed à Divinâ potentia imperatum videatur.* Idcirco Romani quoque sepulchra rebus divini Juris annumerarunt. Nonnulli hoc officium tanquàm eximiam virtutem deprædicant; Cicero Sepulturam vocat humanitatem in *Orat. pro Quintio*, Seneca misericordiam & humanitatem *Lib. 5. de benefic. c. 20.* Modestinus memoriam humanæ conditionis *L. 27. ff. de condit. instit.* Ulpianus misericordiam & pietatem *L. 14. §. 7. ff. de Religios. & sumpt. funer.* vid. quos magnò cumulò allegat Grotius *de J. B. & P. Lib. 2. §. 1. & B. Quensted. de Sepultura veter. cap. 2.* Ipsè Grotius *loc. cit.* sepeliendi officium ad Jus Gentium voluntarium refert, cui ad stipulatur egregius ejusdem Commentator Kulpifsius ad hunc locum, Puffendorffius ex præcepto Juris Naturalis de officiis humanitatis idem deducit *Lib. 2. de J. N. & Gent. cap. 3. §. 23.* Neutrum aridè Doctriño Thomaso in *Jurisprud. Div. Lib. 3. cap. 10.* Hoc inrerim certum est, quod licet testimonia gentiliū non statim probent rem aliquam ad Jus Gentium pertinere, non incongrua tamen sit illorum opi-

opinio, qui sepulturæ officium saltem à posteriori ex Jure Gentium deducunt. Sed omnium verissima videtur esse sententia hanc obligationem ex ipsò Jure Naturæ originem suam trahere: quod in primis verum esse arbitramur, si regulæ honesti & decori adjungantur. Inde firmitus revera subest vinculum, quàm quod in simplicibus humanitatis officiis reperitur. Justitia etenim postulat, ut ei, qui membrum fuit societatis illud exhibeatur officium, quod vivus meruit, quodque quivis ipsemet ab alio expectit: Honestas svadet, ut ultimum amoris *τὸν κέντρον* exhibeatur mortuo; Decorum exigite ne corpus humanum insepultum relinquendo indignè traçetur. Hinc veritati vix est consentaneum, omnem erga mortuos obligationem & justitiam Jure Naturali morte finiri; nam multa quæ viventibus competiè, etiam post mortem durant, ac proinde justitiam recipiunt, veluti Existimatio hominis, ceu elegantè ostendit celeberrimus Hertius Fautor noster honorandus in eruditâ *Dissertat. de Socialitate Sect. 3. §. 8. quæ reperitur Tom. 1. opuscul. quò in iuru etiam mortuo injuria fieri rectè dicitur, in L. 1. §. 4. & 6. ff. de injur.* Quin si fingamus quendam expressè alteri promississe monumentum post mortem extruendum, proculdubio vera suberit obligatio etiam erga mortuum, quemadmodum & talia vestigia in Jure Romano occurrunt; idem jam judicium esto de obligatione tacitâ. Neque hic ad mortuum cadaver vel animam separatam respicere opus est, cujus existentiam ratio sibi relicta vix comprehendere videtur, sed potius ad ipsam hominum sortem & conditionem, quæ efflagitat, ut amoris radii etiam in mortuis coarscunt. Hinc appositè Veteres dixerunt, quod officium sepeliendi humanitati i. e. humanæ naturæ præstetur, uti explicat Grotius *loc. alleg.* Eruditè hanc in rem disserit Heinr. Bodinus *de violatione juris sepult. aph. 2.* & rectè contendit Dn. Titius in *Der Probe des Deutschen Geisli. Rechts Lib. 4. cap. 9. §. 3.* quod qui hoc officium negligit, brutalitatem committat: quare, ut infra dicitur, neque hostibus fuit denegatum.

IIIX. De divisione quoque sepulturæ hic quædam veniunt notanda, quæ ad illustrationem nostri thematis facere videntur. Est verò sepultura sine respectu habito ad religionem vel Ecclesiam, fortè aliter dividi posset, cum, ut supra jam innuimus, illa nihil cum eccle-

14 CAPUT I. DE SEPULTURA EJUSQUE DENEG. IN GEN.

ecclesia habeat commune: tamen secundum Jus Canonicum & mores hodiernos communiter dividitur in *honestam* & *inhonestam*. Illa fit adhibitis ritibus ac ceremoniis secundum cujuslibet loci consuetudinem in locò sepeliendi honestò, mit Gesang und Klang/ vel Christlichem Gebrauch nach/ & rursus dispescitur in *solemnem*, quæ solenniter fit cum Psalmodiis sacris ad viventium informationem ac consolationem, defuncti verò commendationem; & minus solennem, quæ omittis vel omnibus vel aliquibus ceremoniis ad parcendos sumtus ex propriò beneplacitò peragitur; wenn die Leichen in der Stille beygesetzt werden / ubi tamen absentia solennitatum non illicò inhonesti quidpiam involvit. vid. Thomaf. in *Disp. de Jure Principis circa solennia sepulturae* §. 3. add. Ludovici in *Usu pract. Distinct. Juridic. ad tit. ff. de religios. & sumpt. fun. distinct. 2.* De divisione sepulturæ honestæ in communem & propriam vid. Finckelth. de *Jure Sepulturae concl. 2.* *Inhonestæ* Sepultura describi potest, qui fit absque usitatis ceremoniis, vel in locò extra cœmeterium, vel in cœmeterio sed locò remotò & inhonestò. Hæcque iterum à nonnullis subdividitur in *ignominiosam* (quam inhonestam humanam vocat Ludovici *loc. all. dist. 3.*) qualem modò descripsimus, & *asininam* seu *caninam*, ex locò *Jeremie XXII. 18. & 19.* forsan ita dicta, ibi: *Et solum wie ein Esel begraben werden / quæ corpora per carnificem ejusve ministris in locum inhonestum vel bestiis destinatum abjiciuntur, vulgò auf dem Schind, Auger.* Appositè hanc Cicero alicubi nominat *sepulturam insepultam* conf. Carpzov. *Jurispr. Const. Lib. 2. def. 379. sequ.* Lauterbach. *Colleg. Theoret. Pract. tit. de religios. & sumpt. fun. §. 14.* add. Titius in der *Probe des Deutschen Geistlichen Rechts L. 4. cap. 9. §. 2.*

IX. Et si verò regulariter Jura Sepulturæ communia esse debent, neminique temerè deneganda, neque in totum neque ex parte, quemadmodum etiam Ordin. Ecclesiæ Saxonicæ laudabiliter innuit *art. gen. 15.* ibi: *Alle Todten sollen ehrlich begraben werden / hæc tamen regula quàm plurimas patitur exceptiones: quotidiana enim docet experientia dari casus, quibus sepultura aliquibus vel in totum interdicitur, vel honesta denegatur, vel ad minimum quoad certas circumstantias v. g. locum, tempus impeditur, de quibus singulis in subsequentiis agendum erit.*

CAPUT

CAPUT II.

De

DENEGATIONE TOTALI, SEU PRIVATIONE SEPULTURÆ.

SUMMARIA.

I. Quid per privationem sepulture hic intelligatur?

II. An bruta animantia sint sepelienda?

III. An sepultura in totum rectè prohiberi possit?

IV. In quibus delictis privatio sepulture locum habeat?

V. Sepultura nonnulli privantur corpore simul intereunte, ut Venesici.

VI. Sodomitæ.

VII. Incendarii.

VIII. Falsam moneta[m] cudentes.

IX. Hæretici apud Pontificios & in Saxoniâ.

X. Certâ ratione Parricidæ.

XI. Nonnullis sepultura interdicitur, ut tamen corpora remaneant, quales sunt rei criminis læsæ Majestatis & Proditores, De Tyrannis remissivè.

XII. Sacrilegî.

XIII. Latrones ac Raptores.

XIV. Qui homicidium qualificatum commiserunt, uti dolosi homicidæ, Venenarii & Assassini.

XV. Fures.

XVI. Fures ferarum die Wilder Diebe.

XVII. Administratores & Tabularii perfidi.

XVIII. Milites desertores ac refractarii, & qui in Prussiam duellè occiduntur, si nobiles non sint.

XIX. Delinquentes confessi & convicti ante supplicium mortui ubi de exhumatione.

XX. Jure veteri Rom. fulmine occisi sepultura privabantur, quod hodie secus.

XXI. Qu. An quis se ipsum sepultura privare possit?

XXII. Qu. An quis se pro debitò ita obligare possit, ut eò non solvè, corpus ejus insepultum relinqui debeat? & de effectu hujus obligationis.

XXIII. Qu. An hostibus sepultura deneganda?

XXIV. Num partus monstrosi vel ostentosi sepultura digni sint?

XXV. De iis qui per Anatomiam Medicorum sepultura privantur.

II. Per

I.

PER privationem sepulturæ hic non tam illam intelligimus, quâ homines fatali casu vel fluctibus maris immerguntur, vel igne extinguntur, vel à feris animantibus dilacerantur & devorantur, vel aliò modo pereunt & ita sepulturâ privantur, talia enim ex accidenti fiunt; nullum interim est dubium Divinum Numen & horum ossa mirabili quondam ratione resuscitaturum esse: Sed illam potissimum, quâ sepultura alicui ob insigne scelus vel aliam ob causam à Lege vel superiori denegatur ob aliorum exemplum & emendationem. Unde legimus, quod jam olim Imperator Vespasianus sepulturæ privationem in gravium pœnarum numerum retulerit teste Svetonio in *ejus Vita cap. 2.* Et licet ex veteribus nonnulli etiam ii, qui Philosophorum superbo titulo incedebant, sepulturam haud rarò floccipenderint, ceu & variis effatis non tantum Cynici illius Diogenis, sed etiam Stoicorum, imprimis Socratis & ipsius Senecæ pater: vid. B. Quensted. *de Sepult. Veter. cap. 18.* ac præcipuè Excellent. Dn. Boltz, *Patronus noster, in Disp. 6. Select. Thes. §. 6.* Alii tamen saniores quàm maximè de eadem fuere solliciti, ejusque privationem inter supplicia retulerunt: inde Mezentius Divum ille contemptor cum mortem non deprecaretur, sepulturam tamen petiit, ita enim apud Virgilium *Lib. II. Æneid.* ait:

Unum hoc per, si qua est victis venio hostibus oro.

Corpus humò patiare rogo.

Rectè siquidem Tertullianus *Lib. de animâ cap. 50.* Titulus, inquit, injuriæ cessatio est sepulturæ: Imò crediderunt Ethnici, quod insepul-ti apud inferos non reciperentur, ita enim Plautus in *Mossellar.* quendam inducit loquentem:

Nam me in Acherontem recipere Orcus noluit,
quia pramaturè vitâ careo, per fidem
deceptus sum, hospes hic me necavit, usque me
à fodis insepultum.

Quapropter & hodiè talis privatio semper ferè præsupponit delictum, nisi certis casibus illa fiat, de quibus infra.

II. Ex dictis facillè etiam colligi potest, quod hoc loco tantum de sepulturâ hominum ejusq; privatione simus solliciti, exclusis reliquis

liquis creaturis animatis pariter ac inanimatis, quæ partim sepul-
turâ opus non habent, partim ipso quasi jure eâdem privantur. Et
otiosa fortè videretur esse quæstio: An bruta animantia sint sepeli-
enda nec ne? nisi hinc indè vestigia talium sepulcrarum tam apud
veteres, quàm recentiores reperiremus. Sanè Alexandrum M.
equo Bucephalo exequias duxisse, ac tumulum peculiari urbe ejus
nomine circumdedisse tradit Plinius *Nat. Histor. lib. 8. cap. 42.* De
Lacyde Philosopho anserem sepeliente multa narrat Ælianus *Lib. 7.
cap. 41.* Inprimis tamen equi apud Græcos hoc honore maectati
sunt; indè idem Ælianus *Lib. 12. cap. 40.* refert, quod in Ceraunio e-
qui, qui ter in Olympicis vicissent, cum iis, qui in bello fortiter ce-
cidissent, sepulti sint. A Græcis hunc bruta sepeliendi ritum ad
Romanos pervenisse probabile est; indè Augustum & Lucium Ve-
rum Imperatores equis suis sepulchra fecisse constat, vid. *Capito-
lin. in Verò.* Agrigenti multorum equorum tumulos Pyramides
habere narrat Jac. Gutherius *de jure manium Lib. 2. cap. 37.* Elegans
est epitaphium à P. Crasso mulæ cuidam positum & à Thoma Por-
catio *Lib. 3. de funeral. Antiquitat. inventum ac descriptum:*

DIS. PEDIB. SAXUM.

CIUCIFERÆ, DORSIFERÆ. ET. CLUNIFERÆ.

UT. INSULTARE. ET. DESULTARE.

COMMDETUR. PUB. CRASSUS. MULÆ.

SUÆ. CRASSÆ. BENEFERENTI.

SUPPEDANEUM. HOC. CUM. RISU. POS.

VIXIT. ANN. XI.

quod tamen fictitium judicat Gutherius *l. c.* paulò aliter id effert
Kirchmannus *in appendice c. 6.* Sed & canibus sepulchra constituta
sunt, ceu Adrianum fecisse referunt Xiphilin. & Spartan. *in Adriand.*
Elegans & cane ferè dignius extat epigramma in *Epigr. Veter. Lib. 3.*

Quod potui, posui tibi fida cellula sepulchrum,

Digna magis celi munere quàm tumuli.

Candenti ex lapide hæc tibi convenit urna, fuisti

Candida rota fide candida rota pilò.

Si cælum, ut quondam canibus patet, haud tua terras

Incendet, sed ver stella perenne dabis.

C

Plura

Plura exempla vid. apud Kornmann. *de mirac. mort.* Kirchmann. *loc. cit.* Recens & lepidum exemplum de cane in cœmeterio sepulto narrat Petr. Müller in *Disp. de aucupio sanæ* cap. 2. §. 38. Et hic Regiomonti nonnunquam cani cuidam exequias fuisse paratas, clarissimorum tum temporis Virorum Carmina funebria testantur, quæ conjunctim Anno 1652. prodire sub titulo : *S mulachra Silenorum*, digna certè ut legantur. Quicquid tamen hujus rei sit, nemo non videt has sepulturas vel ex quadam superstitione vel nimio forsan amore vel etiam joco provenisse, quin neque propriè sepulturas dici posse : Et si enim in eo fortè coincidant hi actus, quod brutorum cadavera eadem ratione ut hominum nonnunquam terrâ obruantur, hoc tamen nondum efficit Sepulturam ; Inprimis verò Christianis reverentius & benignius de eadem loquendum, cum longè aliud, uti notum, fundamentum habeant, ne horum sepultura cum brutorum humatione eadem esse censatur. Inde quoque rectè animantibus brutis sepulturam in nostro significatu in totum denegamus.

III. *An verò & hominibus sepultura in totum rectè denegari possit ?* & annon hæc privatio repugnet regulis justitiæ & æquitatis ? nondum adeò expeditum esse videtur, inprimis si cadavera mortuorum in patibulo, rotâ vel furcâ relinquantur. De Jure Naturali contra humanitatem esse videtur hanc humanitatem homini denegare velle ; contra regulas honesti & decori, corpora humana probro ac ludibrio exponere ; contra regulas prudentiæ, cadavera insepulta projicere ut vel aër infectetur, vel gravidæ mulierculæ damnum incurrant, vel alia incommoda oriantur. Inde de Jure Civili magna censetur injuria insepultum quendam relinquere, *L. 28. ff. de Relig. & sumpt. funer.* & in Jure Canonico sepultura cadaverum punitorum expressè præcipitur *c. 30. cap. XIII. qv. 2.* Accedit, quòd in cadavere in quo nec sensus nec ratio est, nulla pœna quam tamen esse sepulturæ privationem supra diximus, obtinere possit ; ut taceam quod finis pœnarum hic plane cessare videatur, hinc Jctus in *L. 20. ff. de pœnis* notanter pœna, inquit, *constituitur in emendationem hominum, qua mortuò cò, in quem constituitur videtur, desinit.* Inprimis verò Hugo Grotius *de J. B. & P. Lib. 2. c. 19. §. 4.* hic urget Jus Divinum, quo valdè ignominiosum habetur patibulo suspensos in-

sepul-

sepultos relinqui. *Num. XXV. 4. Deut. XXI. 23. 2. Sam. XXI. 26.* Unde Hebræis etiam eorum corpora, qui ad publicum supplicium damnata fuerunt ante solis occasum sustulisse & humo mandasse asserit, & hanc reverentiam exhibitam fuisse Divinæ imagini, ad quam homo conditus sit. Tametsi verò benè moneat Zieglerus in *Comment. ad h. l. Grosii* quod imago DEI non constiterit in externâ corporis formâ sed in illustratione mentis & rectitudine voluntatis, quodque hæc Lex tantum fuerit forensis, adeoque Christianos non obligans, rectè tamen contendit B. Brunnemannus *de process. inquis. cap. 10. n. 33.* securius facere Principes & conscientiis suis confulere, si & in hoc casu suas Leges ad forenses seu Mosaicas accommodent: inde laudat mandatum Serenissimi Electoris Brandenburgici, qui superiori seculo Anno 1646. omnia punitorum cadavera à furcis deponi iussit, quod factum omnibus Principibus maxime commendat. Imò idem pius Ictus in *Comment. ad L. i. ff. de cadaver. punitor.* illam Germaniæ consuetudinem, quâ cadavera punitorum in furcâ vel rotâ relinquntur, irrationabilem vocat. Fusius contra eandem disputat Henr. Bodinus *de violatione Juris Sepulturæ aphor. 3.* Nos ut ex hisce evadamus fluctibus, statuimus, quod licet hic mos primo quidem intuitu inhumanus videatur, ac forte per omnia etiam ritè sese non habeat, excusari tamen, imò tutò retineri possit. Certum enim est, pœnam quàm maximè determinari in emendationem, exemplum & terrorem aliorum, unde sæpius sententiæ solet inferi: *Zhm zur wolverdienten Straff und anderen zum abschweulichẽ Exempel.* Quid verò magis aliis exemplo esse terrorem quàm incutere valet, quàm si cadavera insepulta in locis publicis conspectui illorum objiciantur, & memoriam prætereuntium commissi delicti & subsecutæ pœnæ refricent. Hinc rectè summus Theologus B. Gerhardus *Loc. Theol. de morte S. 89. Reipublicæ*, inquit, *utile esse horrendû ejusmodi spectaculis alios à similibus delictis deterreri.* Sed & ipsæ Sacræ Literæ de hac consuetudine testantur; Jam suo tempore Pharaon Aegyptiorum Rex pistorum principem ad patibulum affigi iussit, ut corpus ejus ab avibus depasceretur. *Gen. XL. 19. 22.* Sic Goliathi corpus insepultum abjectum fuit. *1. Sam. XVII. 46.* Ipsum sapientissimû Numen multis privationem Sepulturæ per modum pœnæ magno Zelo prædixit; quemadmodum de Jojakim, Jazabel aliisque

que constat. vid. 2. Reg. IX. 10. 33. Jerem. XVI. 4. 6. XI. 7. XXII. 19. &c. Nec est quod Grotius loc. cit. excipiat, DEum talia fecisse jure suo; nam hoc nihilominus exinde sequitur, non esse naturam illicitum facinorosum insepultum relinquere, ut Ziegler. *ad hunc locum recte regerit.* Inde consuetudo hæc & apud alias gentes viguit. & Juri Civili non fuit incognita; ita enim Ulpianus *in L. 28. §. 15. ff. de pœnis.* *Famosos latrones in his locis ubi grassati sunt, furcâ figendos compluribus placuit: ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, & solatio sit cognatis & ad finibus interemptorum eodem loco pœnareddita, in quibus latrones homicidia fecissent: tandem à Carolo V. in Constitut. Criminal. art. 175. & 167. relata, de qua in alia quoque locorum statuta transfata. conf. Petr. Müller. *in not. ad Syntag. Struv. Exerc. 15. ib. 82. lit. (a)* Caspar Ziegler. *de eo quod justum est circa mortuos ib. 29.* Jo. Philipp Eschenbach *in disp. inaug. de hominis mortui sepulturâ prohibita cap. 2. per tot. it.* Aug. Bened. Carpzov. *in disp. de transportat. defunct. per territor. alien. cap. 4. §. 7. & seqq. ac imprimis.* Kulpis. *de jure circa cadavera punitor. cap. 2. §. 4. seqq. ubi quoq; ad argumenta contraria respondetur.**

IV. Hisce præmissis nunc illa delicta breviter percurrenda sunt, in quibus privatio sepulturæ locum habet, non enim in omnibus delictis capitalibus obtinet, neque in potestate judicantis est pro lubitu aliquem sepulturam privare, sed requiritur, ut sit delictum atrox, magnum, cui hæc pœna expressè à Legibus est præscripta. Olim quorum corpora insepulta relinquebantur vario supplicio afficiebantur; Apud Judæos in usu erat Lapidatio, Combustio & Strangulatio seu Suffocatio; crucifixionem enim non fuisse ordinarium Judæorum supplicium evincit B. Quendsted. *de Sepulturâ Veter. cap. 3.* Apud Romanos præter crucem (quæ etiam recte Tacito Germanis quondam non fuit infrequens) bestiiis corpora dilaceranda objiciebantur, vel fluminibus immergebantur. Imprimis hoc singulare erat, quod Legibus XII. Tab. cavebatur, quibus Creditoribus in Debitoris corpus sævire, illudque in partes dissectare easque pro rata inter se dividere permittebantur: contra quam crudelitatem disputat Gellius *Lib. 20. N. A. c. vii.* illamque Legem fustius examinat Thomafius *de navis Jurisprud. pag. 172.* nunquam tamen executioni traditam esse existimat Carpzovius

Prax.

Prax. Crimin. p. 1. Qu. 44. n. 39. Verùm talia supplicia hodiè apud nos penitus sunt abrogata. Crucis pœnam inrer Christianos primò omnium sustulit Constantinus M. ob reverentiam scil. Crucis Dominicæ, ne ea pœnis damnatorum vilesceret, ceu Eusebius indicat *L. 1. cap. 8.* Reliqua pœnarum genera tractatu temporis in desuetudinem abierunt, idcirco neque de his jam erimus solliciti. Hodie illi per modum pœnæ sepulturâ privantur, qui vel igne ac flammis in rogo vivi seu mortui comburuntur, vel undis submerguntur, vel in partes dissecantur, vel è patibulo seu furcâ suspenduntur, vel rotæ imponuntur, vel palis affiguntur. Hi enim sunt communissimi illi pœnarum modi, quibus sepultura delinquentibus denegatur, & licet fortè plures occurrant, vel novâ quâdam ratione excogitentur, facile tamen ex aliis similibus poterunt dijudicari. Cum verò sepultura facinorosis ita denegetur, ut corpora illorum vel planè simul intereant, vel tantùm insepulta certo in loco maneant, de utrisq; etiam separatim jam acturi sumus.

V. Inter illos igitur, qui sepulturâ in totum privantur, ita tamen ut cadavera simul intereant primum occupant locum Magi, Sortilegi, Venefici & qui pactum cum Diabolo inierunt, qui humani generis inimici rectè appellantur in *L. 7. C. de Malefic. & Mathem.* An ejusmodi pactum expressum cum Satanâ iniri possit? & quâ ratione id fiat? jam non inquiremus, sed tantùm de pœnâ quatenus quoque privationem sepulturæ involvit, erimus solliciti. De Jure civili pœna capitalis quidem huic delicto dictata est, sed certa species non videtur esse determinata, dum Magni quandoque simpliciter capite seu pœnâ gladii damnantur, *§. 5. 7. de publ. Jud. L. 5. C. de mal. f. & mathem.* nonnunquam pœnâ ignis *L. 3. C. eodem.* aliquando feriali peste absumi jubentur *L. 6. C. eod.* cujus explicationem suppeditat Gothefred. *ad all. L. lit. X.* nonnunquam viliores bestiis subjiciuntur, atrores verò in insulam deportantur, juxta *L. 3. §. 5. ff. ad l. Cornel. de Sicar.* vid. *Carpz. Prax. Crim. p. 1. qu. 49. n. 2.* Hodie secundum Const. Crim. Carolin. *art. 109.* pœna magiæ & veneficii est incendium, dummodo tamen per illud crimen nocitum vel damnum illatum sit, ita enim verba sonant: So iemand den Leutè durch Zauberey/ Schaden oder Nachtheil zugefüget/ soll man ihn straffen vom Leben

Leben zum Tode/und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun. add. Pr. IX. Lib. 6. Tit. 4. art. 2. §. 1. Quam pœnam ignis extendunt quoque Doctores ad illos, qui quidem incantationibus nullum damnum dederunt, sese tamen Diabolo manciparunt, vel per pactum expressum vel etiam tacitum, ejus auxilio utendo, Deum abnegando &c. vid. Matth. Stephan. ad all. art. 109. quod ipsi in Saxoniâ expressis verbis sancitum reperitur in *Constit. Elect. 2. part. 4. vers.* Demnach constituiren/ ibi: So jemand in Vergessung seines Christlichen Glaubens mit dem Teuffel Verbündniß auffgerichtet/ umgehret oder zu schaffen hat/ daß dieselbige Persohn/ ob sie gleich mit Zauberey Niemandes Schaden zugefüget/ mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet/und abgestraffet werden soll. An verò illud ritè se habeat? aliis dijudicandum relinquimus. Eandem pœnam iisdem determinant, qui cum Satanâ nefandâ ratione se commiscuerunt, quâ de re conferri potest laudatus Carpzov. de loc. all. g. n. 45. item Port de nefandâ Lamiarum cum Satanâ coitu: ac inprimis Mauritijs de denunciatione Sagarum.

VI. Veneficos in privatione sepulturæ excipiunt *Sodomitæ*, seu qui contra naturam luxuriantur. Hoc Sodomix crimen, quod à Sodomæ incolis turpissimam originem traxit, jam à multis seculis adeò nefandum habitum fuit, ut non proficiat scire. Hinc ipsum supremum Numen jam in V. T. Sodomitis pœnam capitis dictavit, Lev. XX. 13. 15. 16. Secundum Const. Crim. Carol. art. 116. illos indistinctè pœna ignis manet, ibi: So ein Mensch mit einem Vieh/ Mann mit Mann/ Weib mit Weib Unkeuschheit treiben/ die haben auch das Leben verwirret/ und man soll sie gemeiner Gewohnheit nach mit dem Feuer vom Leben zum Tode richten: quod etiam consentaneum est Juri Prutenico, vid. Pr. IX. Lib. 6. Tit. 6. a. 5. Moribus tamen plerorumque locorum illa pœna tantum in commixtione cum bruto locum obtinet, ubi quoque brutum simul concremari solet, ne animal ita contaminatum indignam facti refricet memoriam, ut egregiè loquitur Pontifex in c. 4. cap. XV. qu. 1. In alterâ verò Sodomix specie, quæ scilicet in eodem sexu committitur, pœna gladii tantum dictari solet: Imò in priori casu delinquentis claver factâ primum decollatione nonnunquam comburitur, præcipuè si delictum perfecte non sit consummatum, quemadmodum ali-

quo-

quoties hic in Prussia ita pronunciatum meminimus. Indigni ergo hi sunt sepultura, qui hominum titulo & juribus se ita indigno reddiderunt. Huc ex parte pertinet casus, quem ex Menochio refert Kulpis. *de Jure circa cadav. punit. cap. 6. §. 7.* Mediolani scilicet virum quendam nomine Franciscum ditionis Novocomensis, cum nulla lanuginis signa & foeminae faciem haberet, ementito sexu in matrimonium alios sibi viros duos successivè assumisse, cumque hæc ficta foemina tandem morbo Gallico correpta, & in Xenodochium illius urbis delata decessisset, dum Sepultura paratur, compertum fuisse, habere membrum virile, & nulla mulieris signa, ita ut nec dici posset hermaphroditus, idcirco cadaver ejus Majorum jussu sepultura caruisse.

VII. Sequuntur *incendiarii*, die Brenner oder Nordbrenner qui dolo & proposito, datâ operâ, maliciosè, scientes prudentes vel inimicæ vel prædæ causa aliorum domus, villas, horrea, ædificia & alia bona incendunt. De Jure Civili hoc crimen variè pro diversitate circumstantiarum punitur vid. Matth. Stephan. *ad art. 175 C. C. C.* Hodie verò per dictam Const. generaliter sancitum est, ut incendiarii dolosi ignis & flammarum supplicio afficiantur & vivi comburantur, ibi: Die böshafftigen überwundenen Brenner / sollen mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet werden / quæ pœna quoque Jure nostro statutorio obtinet *Pr. N. L. 6. tit. 5. art. 7.* quo ipso in cineres redacto corpore sepultura quoque evanescit.

IX. Sed & ii sepulturâ in totum intereunte simul corpore privantur *qui falsam monetam cudunt, horumque auxiliares*, hi enim itidem pœna ignis plectuntur. Illi tamen tantum hic intelliguntur, qui nummos falsa fusione formant vel feriunt, seu stando cudunt, aliis palam ostendunt, aut permutant, vel etiam aliis persvadent, ut eos fraudulenter ac dolo malo alterum decipiendi causa exponant, ita enim verba in *C. C. art. 11.* sonant: Welche falsche Münzen machen / zeichnen / oder dieselbe falsche Münze aufwechseln / oder sonst zu sich bringen / und wiederumb gefährlich und böshafftiglich / dem Nächsten zum Nachtheil wissenschaftlich ausgeben / die sollen nach Gewohnheit auch Säkung der Rechte mit dem Feuer vom Leben zum Tode gestrafft werden. Quæ pœna quoque jam olim à Constantino Imp.

Imp. fuit constituta in *L. 2. C. de fals. monet. add. Pr. M. Lib. 6. tit. 4. a. 6. §. 1. ibi*: ja wol gar mit dem Feuer vom Leben zum Tode gebracht werden.

IX. Hæc pœna ignis & per consequens denegatio sepulturæ totalis inter Pontificios etiam *Hæreticis* dictari solet, ceu ex *Tragicis Jo. Hussi* ac aliis imprimis inquisitionis Hispanicæ exemplis liquet. Inter Protestantes verò hæc regulariter cessat, nisi fortè in Saxonia, ubi illam usu obtinere testatur, *Sächs. M. Lib. 2. art. 13. ibi*: Welcher Christen Mann oder Weib ungläubig ist &c. die soll man auff einer Horden brennen/ quo textu hæreticos intelligi tradit *Gloss. Germ. add. art. in verb. ungläubig*. Restringit tamen hanc pœnam *Carpzov. Pr. Crimin. p. 1. qu. 44. n. 45. seq.* ad illos tantum hæreticos qui simul sunt facinorosi & seditiosi, pacis publicæ & civilis violatores, alios ad seditionem commoventes, vel qui sunt blasphemii, & absque fronte ac manifestis verbis DEum Patrem, Filium & Spiritum S. blasphemant, quemadmodum quoque ex adjecto præjudicio n. 48. apparet; *ibi*: Uff den Fall möchte er von wegen solcher seiner gefasten Halsstarrigkeit / ketzerischen Irrthumb und Lasterungen/ Vermöge der Rechte und üblichen gemeinen Gebrauch nach mit dem Feuer vom Leben zum Tode gestrafft werden. Qua ratione hodie hæretici sepulturâ honestâ privari soleant, *capite sequenti* indicabitur.

X. Ad hanc classẽ certa quoque ratione referri possunt *Parricidæ*. Etsi verò Solon Legislator Atheniensium de hoc immani parricidii crimine Legem nullam tulit, sperans, neminem tantæ impietatis fore, qui tam fœdum & horrendum facinus perpetraturus esset, referente *Cicerone in orat. pro Roscio Amerino*, tristis tamen experientia affatim testatur crudeles manus propriis parentibus, liberis & cognatis haud rarò fuisse illatas. Inde a. sperrima quoque pœna in parricidas ejusmodi jam de Jure Civili Romano constituta est. Scilicet insui vivos voluerunt in culeum seu saccum ex corio factum, unâ cum cane, vipera, fimiã & gallo gallinacio, eosque ita in mare vel flumen projici, *L. pen. ff. ad L. Pompej. de parricid. L. un. C. de his qui par. vel lib. occid. cujus pœnæ ratio singularis adjicitur in §. 6. Infi. de publ. jud. c. ut scil. omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cælum superstiti & terra mortuo auferatur. Causas quare hæc animalia adjiciantur*

EX.

exponit Jo. Harprecht *in comment. ad d. §. 6. n. 18. sequ.* Quam cuius-
 lei pœnam in plerisque locis adhuc hodie obtinere testantur Do-
 ctiores (in Prussia tamen aliam pœnam infligi testatur *Dr. PSI. Lib. 6.*
tit. 5. art. 3. §. 2.) non verò aliis in casibus, quàm si inter parentes
 & liberos hoc delictum sit commissum, quod de Jure Saxonico ad
 Conjuges quoque extenditur. *Constit. Elect. 3. p. 4.* Loco simiæ ta-
 men felis substituitur in Saxonia: Sed magis hoc in terrorem fieri,
 quàm ut revera ita executioni mandetur asserit Illustr. Dn. Fuchs
in Paraphras. Inst. ad d. §. 6. Neque sacrum hodie ex corio confici sed
 ex linteo tradit Carpzov. *Pr. Crim. p. 1. qu. §. n. 19.* In aliquibus locis
 quoque submersi & mortui vicissim ex aqua extrahuntur. Jure Ro-
 mano tamen ac in aliis hodie locis in iisdem remanent, & eatenus
 quoque illos hic consideramus, quatenus scil. sepultura privantur,
 ita ut cadavera eorum simul in aqua pereant & piscibus fortè cibo
 cedant. Quod si flumen vel aqua illo in loco deficiat, secundum
 Jus Civile Parricidæ bestiis obijciuntur. *L. un. C. de his qui parent. vel*
lib. occid. moribus hoc casu pœna rotæ vel gladii cum impositione
 cadaveris in rotam illis dicitur, quæ pœna quoque pro ratione
 circumstantiarum obtinet, si parricidium in alias personas conjun-
 ctas committitur, quo ipso & hi sepultura in totum privantur, ita
 tamen ut cadaver maneat superstes & insepultum relinquatur, cu-
 jus privationis plures species jam enarraturi sumus.

XI. Et primum quidem locum in hac classe occupant *rei cri-*
minis læsæ Majestatis, quod crimen omnium delictorum, quæ in ho-
 mines committuntur, gravissimum esse rectè asserit Tiber. Decia-
 nus *in tract. crimin. Lib. 7. c. 37. n. 1.* Inprimis verò acerrimè coercer-
 tur primaria ejusdem speciei *perduellio*, quâ quis directò adversus
 Principis vel Reipublicæ salutem hostili animo aliud machinatur,
 quò referendi sunt rebelles, hostes patriæ, qui in necem Principis
 vel perniciem Reipubl. conjurarunt. Hi ergò inter alias pœnas
 sepultura quoque privantur, quod jam olim tradidit Ulpianus in
L. 1. ff. de cadaver. punit. ibi: Et nonnunquam non permittitur sepultura,
maximè Majestatis causa damnatorum; hincque in L. 6. C. ad L. Jul. Maj.
dicitur: Majestatis reos etiam post mortem teneri. Inde T. Vespasianus
 adhuc Prætor pœnæ conjuratorum addendum censuit, ut insepulti
 projicerentur teste Svetonio *in ejus Vita cap. 2. & Dio Lib. 58. narrat*

Tiberium damnatos ob Sejanum omnes insepultos in Tyberim trahi iussisse. Quin Cloantillæ femina Romanæ tanquam crimen obiectum, quod Virum, qui inter rebelles fuerat, sepelivisset, referente Quintiliano *Lib. 8. cap. 5.* quod ipsum in Romanorum Reipubl. moris fuisse colligitur ex Verbis Valerii Maximi, qui *Lib. 6. cap. 3.* de Gracchis ita scribit: *V. qui in nostra civitate Tiberii & Caji Gracchorum summa nobilitas ac spes amplissima, sed quia statum civitatis conoti erant convelleret, insepulta cadavera jacuerunt, supremusque humana conditionis bonus sit in Gracchi & reprobis Africani defuit.* Hodie quamvis pœna in n. fando hoc crimine in locis nonnullis variet, ut plurimū tamen dictari solet dissectio in quatuor partes, vel dilaceratio quadrigis facta, ita quidem, ut singulæ partes in locis vel viis publicis suspendantur, quam pœnam ita exprimit *C. C. art. 192.* Durch seinen ganzen Leib in vier Stücken zerschnitten und zerhauen/ und also zum Tode gestraft werden sol/ und sollen solche vier Theil auf gemeine vier Weg- & Strassen öffentlich gehangen und gesteckt werden; quemadmodum hæc pœna ita quoque dictata est famoso illi Daniæ Comiti ab Uhlefeld Anno 1663. quæ tamen ob absentiam delinquentis tantum in effigie executioni est mandata, vid. Frommann, in *Disp. de executione in effig. ib. 43.* Idem quoque supplicium manet proditores, quippe qui ad crimen perduellionis proximè accedunt, cum hac tamen differentia, ut si femina proditorem machinata vel molita fuerit, aqua suffocetur, ita enim *C. C. art. 124.* Welcher mit bösserhaftiger Verrätherey mißhandelt/ soll der Gewohnheit nach durch Biertheilung zum Tod gestraft werden. Wäre es aber ein Weisbild/ die soll man erträncken: quem articulum Doctores etiam communiter ad perduellionem applicant, cum tamen in specie tantum de proditione loquatur. add. *Pr. M. L. 6. tit. 4. art. 5.* Et hoc ipsum Grotius de *J. B. & P. Lib. 2. cap. 19. §. 5.* ex Plutarcho annotavit, quod & apud Græcos proditores insepulti relictī sint. Inde Arcades Aristocratem proditorem lapidibus obrutum extra fines suos *dra-Por* abjecisse tradit Pausanias in *Messenicis*. Hodie novimus proditores nonnunquam palis affigi, vel in hastam trahi, sic werden gespießet/ vel novo quodam cruciatus genere affici & ita insepultos relinqui. Quod verò crimen læsæ Majestatis in specie attinet, quatenus perduellioni contradistinguitur, cum ibi pœna non semper capitalis

lis sit, raro etiam sepultura delinquentes privantur, nisi certæ concurrant circumstantiæ delictum aggravantes. Cæterum hoc adhuc hic notandum, quod quemadmodum Principes meritas à perduellibus pœnas, inter quas & privatio sepulturæ est, jure exigant, ita è contrario subditi ipsos Principes, si Tyrannidem exercuissent, & malè de Reipublica meruissent, sepultura prohibuerint. Scribit enim Appianus *Lib. 3. Civil. Leges Tyrannorum corpora insepulta extra fines projici jubent*, & Alexand. ab Alexandr. *Lib. 3. Gen. dier. cap. 7. de Egyptiis* narrat, quod post mortem Regum suorum illorum vitam & facta accuratè examinerint, quæ si vitiosa fuissent, illos sepultura privarint. Imprimis hoc Romanis non infrequens fuisse exempla testantur; Sic Heliogabalus in cloacam missus & in Tiberim præcipitatus legitur, quod odio communi omnium contigit, siquidem nec sepulchra mereantur, qui amorem Senatus, Populi ac militum non merentur, ut ait Lampridius. Eadem ratione Vitellius Imperator post varia ludibria tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus ac confectus & tandem unco in Tiberim tractus est, referente Suetonio *cap. 17.* Sed hæc cum grano salis secundum definitionem summæ potestatis à Grotio *de J. B. & P. Lib. 1. cap. 3. §. 8.* factam, sunt limitanda. Imò hanc sepulturæ denegationem Principibus factam pœnæ rationem non habere rectè contendit Pufendorf *de J. N. & G. Lib. 7. cap. 6. §. 2. in fin.*

XII. Seqvuntur *Sacrilegi*, qui sepultura privantur; quod Sacrilegii crimen crimini læsæ Majestatis æquiparatur in *c. 29. c. XVII. qu. 4.* & meritò inter atrociora delicta quoque refertur. Jam olim apud Græcos communi Lege sancitum fuisse, ut Sacrilegi insepulti abjicerentur tradit Diodor. Sicul. *Lib. 16. cap. 6.* cui adstipulatur Xenophon *Lib. 1. Ἐλληνικῶν* quod Lege Atheniensium in Attica terra sepeliri fuerint prohibiti. Committitur verò hoc crimen de jure Civili non aliter nisi res sacra ex loco sacro, vel religiosa ex loco religioso sit ablata *L. 5. §. L. 9. §. 1. ff. ad L. Jul. Pecul. et de Jure Canonico* latius extenditur hoc delictum, scil. ut sacrilegium committatur quoque si res sacra ex loco non sacro, vel res non sacra ex loco sacro auferatur. *can. 21. c. XVII. qu. 4.* Cui consentanea est *C. C. C. art. 171.* Sed quis non videt talia superstitionem Pontificiorum sapere & præter necessitatem hoc delictum extendi? *Revera enim puta-*

tiva illa sanctitas & rei & loci tanta non esse videtur, ut novam qualitatem simplici furto inducere possit: interea non improbanda est exasperatio pœnæ in terrorem aliorum, quia aliàs lenitate illius facile alii invitarentur ad res usui Ecclesiastico destinatas invadendas. De Jure Civili pœna sacrilegii non semper fuit æqualis; mox enim capitalis mox arbitraria dicitur, *L. p. pr. ff. ad L. Jul. peculatus. & Ulpianus in L. 6. ff. eodem. Scio, inquit, multos iudices ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos eos vivos exussisse, alios verò in furcâ suspendisse &c.* Hodie tamen in plerisque locis in primis apud protestantes sacrilegis propriè ita dicitis pœna rotæ dicitari solet, quod etiam in Saxonia receptum, *Sächsch. N. Lib. 2. art. 13. & Prussia, Pr. N. L. 6. tit. 7. art. 6. §. un.* quo ipso delinquentes rota contunduntur, eorumque cadavera rotæ imposita sepultura relinquuntur. Jure Saxónico sacrilegis quoad pœnam quoque æquiparantur, qui aratra & molendina spoliunt; *Sächsch. N. ditz. Lib. 2. art. 13. ibi: Alle Mörder und die den Flug berauben/ oder Mühlen/ oder Kirchen/ oder Kirchhöfe &c. die soll man alle radbrechen: quæ pœna jure Prutenico ad illos tantum restringitur, qui equos ab aratro violenta manu auferunt, & simul homicidium committunt, Pr. N. loc. cit. art. 11. §. 2.*

XIII. Sacrilegos excipiunt *Latrones ac Raptores*, pessimum hominum genus, qui tamen inter se ita differunt, ut illi spolium seu rapinam committant cum homicidio, raptores verò qui & Robbatores dicuntur sine occisione alterius. vid. *Carpzov. Prax. Crim. p. 2. qv. 90. n. 2.* huc pertinent die *Freibeuter / Vuschlöpffer & similis farina socii.* Hi omnes ferè ex observantia moderna vel rota puniuntur, vel ad minimum post executionem gladio factam, rotæ impositi sepultura privantur; vid. *Pr. N. L. 6. tit. 5. a. 1. §. 5.* Quod ipsum Juri civili quoque consentaneum esse jam supra ex *L. 28 §. 15. ff. de pen.* observavimus, ubi dicitur: *famosos latrones in his terris ubi et affari sunt furcâ figendos esse.* His merito annumerandi sunt malefieriati illi homines, in primis ad curam Sepulturae destinati, qui tempore pestis ægrotos crudeliter interficiunt, ac res ex ædibus auferunt, quibus pari ratione pœna rotæ de Jure nostro Prutenico justissime est dicitata: vid. *Pr. N. Lib. 6. t. 5. a. 1. §. 16. ibi: Wann in Sterbenszeiten die Todtengräber/ oder andere (wie oft geschieht) diejenigen/ so am Tode liegen/ umbringen/ und darnach stehen/ was sie finden: So*
che

ſie ſollen als Räuber mit dem Rade geſtrafft werden: add. *Conſtit. Elect. Saxon. §. 5. i. ubi idem ſupplicium obtinet.*

XIV. In hanc claſſem porro referuntur ii, qui homicidium qualiſicatum commiſerunt: Dico notanter qualiſicatum; nam in homicidio ſimplici regulariter Sepultura abſolutè non denegatur, ſed poſt factam decollationem cadavera terræ mandantur, moderatis tamen ceremoniis, uti ex ſequenti Capite patebit. Huc ergo ſpectant (1.) ii, qui alios dolose ex propoſito & animo deliberato, ſtractis infidiis in propriis ædibus interficiunt, & ita nullam excuſationem facti allegare poſſunt; his igitur pœnam rotæ meritò dicitur *C. C. C. art. 137. ibi*: Nach Gewohnheit etlicher Gegend werden die fürſeslichen Mörder und Todtschläger einander gleich mit dem Rade gerichtet; darinnen ſoll Unterscheid gehalten werden. Und also daß der Gewohnheit nach / ein fürſeslicher muthwilliger Mörder mit dem Rade &c. geſtrafft werden ſolle. Ubi pœna adhuc exaſperari ſolet, ſi perſonæ in dignitate conſtitutz ita occidantur, v.g. ſi ſervus Dominum ſuum interemerit *d. art. in fin.* Moribus tamen ut plurimum poſt factam demum executionem cadaver rotæ impoſitum inſepultum manet, vid. *Carpz. Pr. Crim. p. I. qv. 7. n. 33. ſeqv.* His (2.) annumerantur *Venenarii* ſeu *Venefici* ſtrictè ita dicti, qui veneno malo dolosè hominem enecant; & hi ergo ſi mares ſint, vivi rota contunduntur, ſi fœminæ aquis ſuffocantur; ita enim *C. C. C. art. 130.* Wer jemand durch Biß oder Venen/an Leib oder Leben beſchädiget, ißs ein Manns Bild/der ſoll/einem fürgeſetzten Mörder gleich / mit dem Rad zum Tode geſtrafft werden. Thät aber eine ſolche Mißthat ein Weibs Bild/ die ſoll man ertränken. &c. add. *Pr. Cr. loc. cit. a. 2. §. 2.* Plus enim eſt veneno hominem occidere quàm telo *L. i. C. de Malefic.* cum illud minus præcaveri poſſit, quàm hoc. Sic igitur & hi ſepultura privantur, quibus (3.) addi poſſunt ii, qui *Assassinium* committunt. Eſt verò *Assassinium*, uti notum, tale homicidium, quod cum præmii obligatione mandatur & ſuſcipitur. Cum igitur hoc crimen longè atrocius ſit ſimplici homicidio, idcirco etiam majori pœnæ ſubjacet. Tam enim *Assassinator*, ſeu ille qui dato vel promiſſo pretio alterum interficere juſſit, quàm *Assassinus*, qui tale mandatum ſuſcipit rotæ pœna afficiuntur, & ita inſepulti pœnam promeritam luunt. vid. *Carpz. Pr. Crim. p. I. qu. 19. per tot.*

XV. Progredimur nunc ad illos, qui pœna laquei plectuntur, & de patibulo suspensi insepulti relinqvuntur: ubi statim secundum mores hodiernos sese offerunt *fures, illorumque auxiliares*, die Fehler; inde Glossa in Reichbild *art. 76.* ait: Man begräbet die Diebe selten / darum / daß man andere damit erschrecket: & Glossa in Lands Recht *L. 2. art. 13. n. 6.* Darum hencet man die Diebe in die Höhe / und begräbet sie selten / auff daß jedermann sehen möge / und dadurch erinnert und erschrecket werde dergleichen zu lassen. *Fœminæ* tamen *fures* in nostris regionibus rarius suspenduntur, sed vel pœnæ suffocationis vel gladii vel alius pro more loci subjacent, quod etiam convenit *C. C. art. 162.* ibi: Die Frau mit dem Wasser / oder sonst in andere Wege nach jedes Landes Gebrauch vom Leben zum Tode gestrafft werden. Cæterum circa pœnam suspendii probè distingvendum, an furtum violentum sit, an verò tantùm simplex; illud mox prima vice pœna laquei vindicatur, non attempta quantitate furti *C. C. art. 159.* add. *Dr. N. L. 6. t. 7. a. 1. S. 5.* hoc verò regulariter non nisi tertia vice, ubi in plerisque locis receptum, ut hoc casu non aliter, quàm si quinque solidos seu decem Imperiales exceßerit furtum, suspensio sit locus: vid. *Jus Lubecens. L. 4. tit. 1. a. 4.* add. *Hopp. in Comment. ad §. 5. Inf. de obligat. quæ ex delict. nasc. in Usu hodierno.*

XVI. Hac pœna laquei quoque afficiuntur & ita sepultura privantur alii nonnulli, qui cum furibus magnam habent affinitatem. Inter hos meritò in nonnullis locis numerantur *fures ferarum* horumque adjutores & hospitatores, die Wild-Diebe und Wild-Schützen. De justitia pœnæ hujus, & an Princeps possit sub pœna mortis venationem prohibere? variè inter se disputant Doctores. Et sanè nulla videtur esse proportio inter bestiam & vitam hominis. Interim in multis terris hæc questio jam affirmativè de decisa, quemadmodum patet ex mandato in Saxonia ab Augusto Electore anno 1584. promulgato, quod allegat *Carpzov. Pr. Crim. p. 4. qu. 84. n. 33.* in quo sequentia habentur: Als ordnen und setzen wir aus Landes-Fürstlicher Obrigkeit und Macht hiemit / daß nun hinführo die Straffe der Wildpratts-Diebe und Schützen / auch derer so dieselbe haufen/hegen oder ihnen wissentlich einigerley Weise Unterschleiff geben / in unsern Landen der Galgen seyn soll: quale mandatum iisdem ferè verbis & hic in Prussia A. 1642. d. 28. Julii est publicatum teste Excel-

cellent. Dn. Pauli in *Disp. de Venationibus Cap. 6. Qu. 2.* Et rectè quidem: Quæ enim est protervia Principibus id auferre velle, quod semel sibi vindicarunt, quodq; consensu populi in illos est translatum? Cur ergo iniquum esset tales temerariè delinquentes ac verè fures ordinaria furum pœna afficere?

XVII. Propius adhuc furibus accedunt perfidi administratores, qui res fidei suæ concreditas intercipiunt & subvertunt, quod referuntur Quæstores, Publicani, Prætores, Præsides, Ædiles, Forestarii, Metallarii ac alii Officiales, imò & Tutores, qui omnes quidem de Jure Civili mitius puniuntur; in Electoratu tamen Saxonix, si in administratione rerum sibi concreditarum summam centum florenorum contra præstitum juramentum dolosè ac fraudulenter converterint, laqueus ad instar furum suspenduntur per *Constitut. Electoral. Saxon. p. 4. const. 41.* quam pœnam etiam Principes alii hinc inde sunt secuti, Et utinam in omnibus vigeret Provinciis, & semper executioni mandaretur, fortè Principibus magis foret consultum. His perfidis administratoribus adhuc adjungendi sunt infideles tabellarii & aurigæ, qui pecuniam aliò perferendam malitiosè consumunt; Inam licet in multis locis hi tantum arbitrariè puniantur, in Regno tamen Prussix, si furtum viginti florenos Polonicos excedat, pœna laquei dicitur. *Pr. Land. N. Lib. 6. t. 7. a. 14. §. 2.* quæ etiam in Electoratu Saxonix obtinet per *dict. Const. 41. §. 11.* ita tamen, ut summa ibi ad 20. florenos Saxonicos sit redacta. Et hi ergo omnes cum similibus de patibulo suspensi sepultura privantur.

XIX. Tandem præter furtum & ob alias causas quidam sæpe suspendio puniuntur & sepultura arcentur; uti milites desertores, (deserteurs) præcipuè si iteratis vicibus aufugerint; item refractarii, qui justii Ducis sunt immorigeri, & alii fortè, prouti quotidianiana proh dolor! exempla satis testantur. Inprimis hoc in Prussia singulare est, quod si in duello quis fuerit interemptus, occisi cadaver si non sit nobilis, de patibulo suspendatur; quin & si ambo in duello occidantur, amborum quoque corpora defuncta suspendio mulcentur, ita enim verba des Königl. Preussischen Duell-Edicts art. 7. sonant: Wo einer bteibt / so soll der Körper des Entleibeten / -- wofern er keiner von Adel / andern zum Abscheu und Exempel auffgehungen
wer

werden. Et paulò post: Zimfall auch das Duell einen so unglücklichen Ausgang gewinnen sollte/das die Duellanten beederseits auf der Wahlstatt bleiben/und ihr Leben einbüßen mochten/so sollen --- wofern sie nicht von Adel/ihre Körper von dem Hencker auffgenommen/und an den Galgen gehencket werden. Quæ pœna, uti sapientissimè est constituta, ita quàm exactissimè quoq; observatur, ceu frequentes desuper executiones testes esse possunt. Eadem quoq; non ita pridem in Electoratum ac cœteros Ducatus Saxoniz, aliasque Provincias salutariter est introducta.

XIX. Et hi sunt potissimum illi, quibus sepultura per modum pœnæ denegatur, de quibus omnibus adhuc notandum, quod etsi ejusmodi delinquentes ante executionem moriantur, modò tamen de crimine confessi vel convicti & ad supplicium mortis condemnati sint, vel etiam condemnandi, illorum cadavera eadem ratione sepultura priventur, & pro qualitate criminis commisi vel comburantur, vel rotæ affigantur, vel suspendantur. De Malefici cujusdam mortui in carcere reperti executione sequens affert præjudicium Gödelmann. *de Magia L. 3. c. 11. n. 24.* hat N. der Zauberer bekandt und ausgefaget / daß er mit seiner Zauberey seines Nachbahren Haus-Frau und Kind umbs Leben gebracht/und er solches gungsam ist überzeuget/und hernacher mit dem umbgedreheten Halse im Gefängnis todt gefunden worden: demnach erkennen wir vor recht / daß der todtz Körper / nachdem er für das öffentliche peinlich: e Hals-Ge-richte gestellet/ zur Wahlstatt geführet/und daselbst andern zum Abscheu verbrennt werde: aliud præjudicium de latrone mortuo allegat Richter *ad L. 2. C. qui testam. fac. poss. ibi:* Daß des abgelebten Märsbers Leichnam wegen begangenen und gestandenen Strassen Raub/ gestaltten Sachen nach andern zum Abscheu auff der Strassen auff's Rad zu legen. Et hoc in primis verum est, si reus de crimine quopiam capitali confessus vel convictus ex conscientia delicti patrati se ipsum interfecerit, & executionem supplicii accelerata morte prævenerit, vid. Carpzov. *Prax. Crimin. p. 3. qu. 131. n. 48. seqv.* ubi præjudicia. Quinimò nonnunquam corpora jam sepulta & terra mandata rursus exhumari & sepultura jam semel adepta iterum privari testantur annales. Famosissimum hac de re exemplum prostat in execrando Regis sui Parricida Cromvelio, qui cum jam Regio ornatu

sepul-

sepultus esset, jussu tamen Regis Caroli II. mortuus è terra eratus, ac de patibulo primum suspensus, mox inde ad solis occasum detractus ac capite truncatus est, ossibus ejus ad pedem patibuli inhumatis relictis, capite autem unâ cum aliorum complicum in summa Ædium Parlamenti parte imposito. vid. *Theatr. Europ. Volum. 9. pag. 386.* Aliud exhumationis exemplum in crimine sacrilegii refert Beyer *de cadaverib. punitor. p. 44.* ubi sententia his verbis dictata est: *Daß des albereitß unter dem Galgen liegenden Lorenz Zeussing Körper / in Erwegung allerhand Umstände / wieder heraus zu laagen / und neben dem Schwelling andern zum Abscheu auffß Rad zu legen.* Præcipuè verò Pontificii stolido imò impio quodam Zelo hæreticos ex mente ipsorum exhumare eorumque cadavera flammis mancipare sibi laudi ducunt. Sic Martini Bucerii ac Pauli Hagem corpora jussu Cardinalis Poli exhumata unaque cum ipsorum scriptis concremata esse docet Thuanus *Lib. 27. Histor. ad An. 1556.* Ridiculum ferè est, quod narrat Platina *in vitâ Bonifacii VIII.* quod Hermanni cujusdam Pontificis defuncti & apud Ferrarienses jam viginti annis pro sancto culti corpus rursus exhumatum & combustum sit, eò quod diligenti habita inquisitione, ipse repertus fuerit hæreticus. Quemadmodum Marcus Antonius de Dominis celebris Episcopus Spalatensis eandem fati duritiem expertus sit, præter alios docet Struve *in Disp. de execut. in effigie cap. 6. § 5. n. 4.* ubi sententiam simul refert. *Qui plura desiderat adeat Disput. J. C. I. Kleini de Executione in cadavere delinquentis cap. 3. & 4.* ubi de justitia hujus executionis eruditè disputatur & varia exempla in medium adferuntur.

XX. Tandem illud ceu singulare quoddam prætereundum hic non est, quod olim de Jure Veteri Romano homini fulmine icto & exanimato sepultura fuerit interdicta, ita enim Lex vetus Numæ: *Homo, si fulmine occisus est, ei justia nulla fieri oportet.* vid. Adrian. Turneb. *Lib. 16. c. 22.* Equidem Kirchmannus *de funer. Romanor. L. 1. cap. 3.* & qui hunc sequitur B. Quensted. *de Sepultura Vet. c. 3.* evincere conantur, Turnebum Legem Numæ non rectè intellexisse, humatosque fuisse fulguritos, sine tamen funerum solennibus: Verùm verba legis clara sunt. Rationem quoque suppeditat Gutherius *de jure manium Lib. 1. cap. 3.* quia scilicet illi inter prodigia ha-

E

beban-

bebantur: hos enim fulguris ictus ad pœnam vitæ impurius referant, quæ divinis honoribus post fata coli non debuit. Interim tamen lapsu temporis prouti alie Numæ Leges violatæ aut abrogatæ sunt, ita & hæc in desuetudinem abiit. Strabonem enim Geniorem Magni illius Pompeji fulmine occisum indictivo funere elatum esse testatur Plutarchus in *Pompejô*. & Quintilianus *declamat.* 274. docet fulmine icti corpus eo in loco ubi occidisset, concremandum fuisse. Hodie ejusmodi hominibus sepultura nunquam denegatur, nisi forte vita antea acta aliud svadeat.

XXI. Et hæc de iis, qui per modum pœnæ sepultura privantur, dicta sufficiant. Nunc adhuc alia quædam huc pertinentia consideranda occurrunt, ubi statim Quæstio sese offert: *An quis se ipsum s. pulv.â private possit?* seu quod eodem recidit: *An quis in testamento vel alia ultima voluntate, conditionem apponere possit heredi, ut sepultura sibi denegetur?* Primo intuitu hæc Quæstio otiosa videtur, cum nemo sanæ mentis communem hanc humanitatem sibi ipsi facile denegabit, & insepultus relinqui desiderabit: Sed jam olim tempore Modestini de eadem fuisse disputatum legimus in *L. 27. pr. ff. de condition. inst. tut.* ubi quidam heredem in testamento suo scripserat sub hac conditione: *Si reliquias ejus in mare abjiceret*, quærebatur ergo, cum heres institutus conditioni non paruisse, an expellendus sit ab hereditate? Respondit Modestinus, laudandum magis esse quam accusandum heredem, qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abjecit, sed memoria humanæ conditionis sepulturæ tradidit: Et rectè. Tali enim conditioni honestas & boni mores obstant, quò minus possit existere, ac inde quoque derisoriam dicitur & tantum non impossibilis, quæ pro non scripta habetur in *L. 14. ff. eod.* Et hoc est, quod Marcianus scribit in *L. 113. §. 5. ff. de Leg. 1.* ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam non valere. Scitè hinc Gothofred. *ad d. L. 27. ff. de cond. inst. lit. b.* *Conditio*, inquit, *humana, que humanitati contraria est, tanquam furi contraria spernitur.* vid. Petr. Müller. in *disp. de Condit. derisoris ultimæ voluntatis adject.* cap. 2. sb. 3. Hoepf. *de Jo. ó cap. 4. §. 17.*

XXII. Major subest dubitatio: *An quis se pro debito ita obligare possit, ut eo non soluto corpus ejus insepultum relinqui debe-*
at?

at? & an hæc obligatio hunc effectum producere queat, ut ejus sepultura possit inhuberi à creditoribus? Jam olim in Germania affirmativa hujus quæstionis obtinuit in illis, qui ad obstagium vulgò Einlager se obligarunt, inque eodem mortui sunt, ita enim Jo. Theod. Sprenger in *Lucernâ modern. Stat. S. Rom. Imperii cap. 2. p. 200.* hac de re loquitur: *Ubi quis morosus vel insolvens illò tempore moriatur, nec antiquitus illi sepulturam concessam reserunt.* Et hoc ipsum adhuc hodiè in Holsatia (ubi ferè tantùm adhuc Obstagium viget) obtinere testantur Doctores ejus regionis. Narrat enim Fridericus Rênboth natione Holsatus in *disp. inaug. de obstagio cap. 1. §. 7.* Haderslebii in ædibus Pauli Richardi, hospitis olim ejus civitatis publici, personam obstagiatam vita functum diu sepultura caruisse, & fortè eandem adhuc hodiè insepultam jacere. Simile exemplum quoque contigisse in fœmina quadam Nobili in oppido H. defuncta: imò in alia civitate Holsatiæ cives corpus obstagionati in cœmeterio depositum reliquisse, ne fortè si terræ mandarent, viderentur debiti demortui se participes reddere voluisse. His exemplis adhuc aliud additur à Jo. Georg. Simon. in *Disp. de justitia bono nis circa sua membra*, quam sub ejus præsidio habuit Dom. Michael Pauli Consul. *Civitas Kiloniensis meritiſſimus cap. 5. §. 4.* scil. quod nobilis cujusdam cadaver in pago quodam duobus milliaribus Kilonio distante diu fuerit detentum, actandem soluto debito humatum. Et hi quoque consuetudinem hanc Holsatiæ propugnant. Verùm quæ ibidem adferuntur argumenta, vix ad excusandum, nedum ad approbandum hunc morem faciunt. Idcirco & nos Quæstiones propositas simpliciter negare non veremur. Certum enim est, quod quemadmodum nemo membrorum suorum Dominus in vita sua, ita neque post mortem de corpore suo disponere possit: Et quænam est inhumanitas commune hominum officium homini propter debitum denegare velle? Nulla sanè inter hæc duo adest proportio: neque ullam utilitatem sentit Creditor ex detentione cadaveris mortui; mortuus certè nihil solvet, etsi in æternum insepultus jaceat, ut taceam interesse quam maximè Reipublicæ cadavera non diu inhumata jacere ob fœtorem. Inde de Jure Civili Romano cadaveris detentio prohibita est sub pœna confiscationis tertii partis bonorum, infamiæ, amissionis debiti & restitutionis similis sumæ

L. fin. & Auth. sequ. C. de sepulchr. violato Nov. 60. cap. 1. Nov. 115. cap. 3. vid. Hahn ad Wesenbec. tit. de religiof. & sumpt. funer. n. 5. qui consuetudinem contrariam irrationabilem, crudelitatis in defunctos & belluinæ feritatis plenam nuncupat in Disp. de Consuetudine tb. 19. & Sprenger loc. sup. alleg. eam rem planè novam, rationi, juri Romano & Legi Christianissimi contrariam vocat. Consentit Jo. Kirchmann. disp. in aug. sub pres. Henr. Schuckmanni habità de pacto obstagii §. ult. Nec est quod excipias cum D. Reinboth loc. alleg. hanc consuetudinem (1) salutem publicam pro fine habere, dum improbitatem debitorum coërcet; hosque debitores improbos (2), eodem modo considerari ut fures, in dō furibus esse peiores, quemadmodum ergo illos ita & hos jure insepultos relinqui. Ad primum enim Respond. quod illa utilitas tantum privatos concernat, scil. hunc vel illum Creditorem; & si fortè concerneret publicum, alii tamen modi coërcendi superfunt, quam qui cum tali inhumanitate sunt conjuncti. Ad secundum regerimus, aliam rationem esse pœnarum, quæ à superiori infliguntur, aliam verò conventionalem: illæ enim pro qualitate delicti justè in aliorum exemplum infliguntur, non verò conventionales; privato siquidem non convenit in terrorem aliorum quidpiam statuere. Neque Principes ullibi publica autoritate consuetudinem hanc vel pœnam in Constitutionibus suis approbarunt; subreptitia igitur videtur esse, quæ apud homines maleferiatis, qui quæ omnem humanitatem exuerunt, nonnunquam in usu fuit. Sed neque hodie politico hoc seculo eam adhuc obtinere certò persuasus sum; Cum enim ibidem morarer, ac de illius observantia hinc inde percontarer, apud omnes ferè incognitam eam deprehendi. De denegatione tamen sepulturæ honestæ debitoris in obstagio decedentis, nec non de arrestatione cadaveris infra suo loco adhuc dicendum erit.

XXII. Non incongruè hic quoque quaritur: *An hostibus sepultura deneganda?* Primo intuitu affirmanda videtur hæc *Quæstio*, cum hostes per illationem belli se socierate & per consequens quoque hoc officio indignos fecerint; quemadmodum ergo in bello omnia ferè reliqua officio cessant, ita & hoc cessare dicendum erit, quò spectat illud apud Claudianum:

*hominemque cruentus
Exiit & tenuem castis invidit arenam.*

Inde

Inde Vir quidam doctus disertè asserit, nullo argumento demonstrari posse, illos peccasse, qui hostes reliquere insepultos. Attamen contrarium & rationi & moratorum gentium observantiæ magis consentaneum est. Si enim verum, ut supra evicimus, sepulturam non tam deberi homini quàm humanitati, spontè sequitur, hostibus qua hominibus eam haud esse denegandam: inprimis cum morte omnes diffidiæ tollantur, & hinc omnis meritò vindicta cessare debeat. Inde omnibus ferè gentibus semper dedecus fuit visum corpora hostium insepulta relinquere. Hercules ille monstrorum domitor exinde laudatur, quod primus permiserit cadavera hostium sepeliri, ut refert Ælianus *Lib. 12. variar. historiar. cap. 27.* antea enim vix aliqua cura hostium sepeliendorum victoribus fuit. Apud Hebræos lege cautum fuisse ne hostem insepultum relinquerent, narrat Rhodiginus *lect. Antiqu. Lib. 17. cap. 19.* Inprimis verò Græci hac erga hostes humanitate omnes ferè alios vicerunt. Sanè Hannibal juratus licet Romani nominis hostis, nihilominus Tib. Graccho Romanorum Duci, Cajo item Flaminio, M. Marcello & aliis honorificè justa celebravit. Eodem encomio digni sunt Græci illi, quorum humanitatem commendat Muretus *Lib. 3. variar. lect. cap. 10.* qui in pugnam adversus Persas abituri juramento sese omnes adstrinxerunt hoc modo: *Vitam libertate pluris non faciam, neque adseram Imperatores, neque vivos neque mortuos, sed eos è focis, qui in prælio occubuerint, omnes sepeliam, & ubi bello exitero victor etiam Barbaros.* Egregia hac in parte exempla Philippi, Alexandri M. aliorumque cuilibet nota sunt. Nescio tamen, annon quodammodo exceßerint Athenienses, qui decem Imperatores, & quidem ab insigni victoriâ redeuntes, quod cæsos navili pugnâ, maris licet sævitia interpellante, in mare projecerant, capitis supplicio affecerunt, ceu præter Diodor. Siculum & Thucydidem refert quoque Valer. Maxim. *Lib. 9. cap. 3.* Illud interim exinde liquidò constat, hos populos accuratissimam juris hujus habuisse rationem. Septentrionalium quoque populorum hoc in passu humanitatem deprædicat Olaus Wormius *in monument. Danic. Lib. 1. cap. 6.* Plura huc facientia asserit Grotius *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 19. §. 3. B. Quensted. de Sepult. Veter. cap. 2.* ac præcipuè Kirchmannus *in append. ad Libr. defuner. Roman. cap. 3. 4. 5.* Imò in ipsiis S. Literis Davidem

summis prosequi laudibus viros Jabes in Gilead cernimus, quod Saulem hostem ejus cum filiis ipsius terræ tradiderint. 2. Sam. II. 4. §. 6. add. Finckelthaus *de jure sepult. concl. 14.* Moribus hodiernis post confictum quendam induciæ à belligerantibus iniri solent ad sepeliendos mortuos, vel si hostibus profligatis victor quis solus in campo remaneat, & hostes unà cum reliquis terræ solent mandari. An verò hoc ita strictè semper observetur? experientia docet: Sanè sæpius conqueri audimus nec proprios milites terra condi. Verùm non videndum quid fiat, sed quid fieri debebat, neque unius fortè ferocientis Ducis lascivia Principi vel toti Reipubl. imputari debet. Num verò obsepulturam denegatam justè bellum suscipi possit? quod Grotius *L. c. §. 5. in fin.* existimare videtur, meritò dubitamus cum Zieglero *in not. ad h. loc.* Nec enim quicquàm hoc casu periclitatur vel dignitas Imperantis vel Status Reipubl. add. Thomastus *Jurispr. Div. L. 3. c. 10. §. 27.* Quod tamen ita intelligo, nisi illa sepulturæ denegatio cum singulari quodam contentu sit conjuncta.


XXIV. Porro & illud hic queri possit: *Num parius monstris vel ostentis sepultura à digni sint?* Equidem Levinus Lemnius *Lib. 1. de occult. natur. cap. 15.* monstris & prodigiosis non solum animam rationalem, sed etiam resurrectionem tribuit. Quod si verum est exinde quia homines sunt, quæstio simpliciter affirmanda esset. Quoniam tamen hoc indistinctè procedere non videtur, rectius cum Ulpiano in *L. 38. ff. de V. S.* distingvendum erit inter duo genera ostentorum, quorum unum est, quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus fortè aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est; alterum verò, cum quid prodigiosum videtur, utpote si forma humana in aliam est immutata, quæ ex capite ceu rationis receptaculo ut plurimum djudicari solet; veluti si quis vel forma plane canina vel ad minimum capite canis aliusque bruti animalis fuerit genitus. Prioris generis monstris sepultura denegari nequit, quia exiguus excessus vel defectus non statim tollit humanam speciem ejusque jura annexa. Reliquis verò ostentis, quia deficiente forma humana homo ipse deficere censetur, & per consequens quoque jura eidem competentia *L. 3. in f. C. de poss. her. ed. v. §. 1.* rectè sepulturam ceu veris hominis tantum propriam denegari posse arbitramur; sicuti & non pauci illa planè impunè

punè occidi posse asserunt. vid. Heydenreich in *Disp. de jurib. Sepulchror. cap. 4. n. 123. si qu.*

XXV. Restant adhuc illi hoc loco considerandi, qui per Anatomiam Medicorum terræ eripiuntur & sepultura privantur. Multi hic disputant, an rectè hoc fiat? partim quod sit contra humanitatem, partim quod Anatomia tendat in contumeliam propinquorum; & miror consultissimum Hahnium hanc ultimam rationem quoque adprobasse in *not. ad Wesnbec. tit. de cadaver. punit.* Sed quis non videt has rationes nihil habere in recessu? Quid enim quæso magis inhumanum corpora defunctorum (de cadaveribus punitorum jam loquimur,) in furca relinquere, quam cultro Anatomico subijcere? quid magis contumeliosum, propinquum in patibulo quam in musæo celebri cujusdam Medici cernere? Inprimis verò commodum publicum hic spectandum, quod per frequentes Anatomias quàm maximè promoveretur. Medici enim per hanc inspectionem & considerationem perfectiores & circumspetiores redduntur, vivorumque corpora saniori ratione confervant, affectus quoq; partium humani corporis melius discernere possunt, quàm ea omissa, ut loquitur B. Dn. Ranger in *Disp. de Jure Suspens. §. 19.* Et cui ignotum est, Medicinam per nobile hoc exercitium intra breve tempus ad summum ferè fastigium pervenisse, præcipuò in Belgio, ubi sectiones corporis humani adeò frequentes sunt, ut non solum in cadaveribus punitorum, sed in quibuslibet aliis quàm sæpius exerceantur. Alia quippe opinio apud ipsos refidet incolas, qui non contumeliæ sed gloriæ potius sibi ducunt, si cultro Anatomico corpora propinquorum offerant, inde tot cadavera, partim integra, partim membratim dissecta apud celeberrimū Anatomicum Ruischium Amstelodami vidimus asservari, quot in universis ferè Germaniæ Academiis conjunctim reperire vix licet. Apud nos præter cadavera punitorum rarò alia Anatomiz tradi solent, ita quidè, ut corpora in partes dissecentur & sepultura priventur, ex præconcepta fortè contumeliæ opinione. Neq; in distinctè permittitur cadavera ad Anatomiam postulare, neq; judici integrum est, illa pro lubitu concedere, sed summi Imperantis vel Regiminis consensus necessarius est; ubi neq; hoc improbo, quod in concessione ratio habenda sit conditionis & dignitatis puniti ejusq; familiæ,

pra.

præcipuè si aliàs sepulturæ mandaretur. In plurimis quoque Germaniæ locis hoc privilegium Academiis & in specie Facultati Medicæ est concessum. Exempli loco esse potest Constitutio Augusti Electoris in *Ordinat. Ecclesiast. Electorat. Saxonia sub tit. Verordnung beyder Universitäten Leipzig und Wittenberg Rubr. von der Facultät in der Arzney ibi*: Zu dem soll auch in einer publica Anatomia alle Jahr zum wenigsten einmahl in einem humano corpore, wenn es verhanden/ was er gelesen/ demonstrieren und weisen. Et in Privilegiis Academiæ Halensi à Serenissimo nostro Rege sub dato Clivie 1692. clementissimè concessis & 1697. Colonia confirmatis expressè disponitur: Wann die Professores Medicinæ in Anatomicis die Jugend unterweisen wollen/ sollen denselben die cadavera punitorum von denen Obrigkeiten und Gerichten in dem Herzogthum Magdeburg und dem Fürstenthum Halberstadt/ auf derselben gebührendes Ansuchen/ ohne Entgelt und einige vorhergehende unterthänigste Anfrage/ Krafft dieses abgefolget werden/ massen wir deshalb an Unsere Regierungen gehörigen Befehl ergehen lassen wollen. Equidem Carpzovius *Jurispr. Const. Lib. 2. def. 41. n. 9.* & alii Doctores hanc facultatem secandi ad solas Academias restringunt, adeo ut alii licet promoti Doctores & Practico extra Academiam ex illorum hypothese hoc non permittatur, quod ipsam præjudicio quoque confirmat Carpzov. *d. l. n. 3.* Verum hoc monopolium sapere videtur; interim ambabus largimur manibus talia utilius in Academiis suscipi, ac majorem utilitatem in Studiosos & ipsam fortè Rempubl. exindè redundare. Num verò vivorum Anatomia permittenda? disquirat Finckelth. *de jure S. pult. concl. 59.* & negat, sed rationes ejus maximam partem consequentia laborant. Nos Quæstionis hujus decisionem partim Principi partim ipsis Medicis relinquimus. Conf. de hac materia fusius Kulpis. *de jure circa cadavera punitor. cap. 5. S. 7.*



AB: 154566

ULB Halle 3
003 120 163



5b.

V B 17







40.

DISSERTATIO JURIDICA
PRIOR,
DE

SEPULTURÆ DENEIGATIONE,

Von

Versagung des Begräbnisses /

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO VVILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ELECTORATUS ET PROVINCIARUM
BRANDENBURGICARUM HEREDE, &c. &c. &c.
IN ILLUSTR. ALBERTINA

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
PRO RECEPTIONE IN EANDEM
solemni ventilationi subicit

REINHOLDUS FRIDERICUS SAHME,

J. U. D. & Profess. Publ. designatus,

RESPONDENTE

SIGISM. THEOD. BERENT,

Regiom. Boruff.

D. XV. April. A. clb lccc X. H. L. Q. C.

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.

130

